



600002446M



ΠΕΡΙ ΑΤΙΜΙΑΣ.


ΠΕΡΙ ΑΤΙΜΙΑΣ.

DE INFAMIA JURE ATTICO COMMENTATIO.

SCRIPSIT

PETRUS VAN LELYVELD,

J. U. D. ET IN CURIA HAGANA CAUSSARUM PATRONUS.



AMSTELODAMI,

J. MÜLLER ET SOCII.

MDCCCXXXV.

TYPIS C. A. SPIN.

In Academiam Lugduno-Batavam anno hujus saeculi tertio puerulum adventantem, et ab optimo patre, honoribus in re publica gestis cum aliis claro, tum eo tempore munus ejus Academiae Curatorium obeunte, ad Wyttenbachium deductum, ita me continuo cepit antiquarum amor literarum, ut quamquam, per complures annos quos Leidae mansi, et mathematicis disciplinis, et juri in primis Romano hodiernoque, maximam navarim operam, attamen hisce semper literis praecipuo quodam cum amore adhaeserim, virique illius immortalis praecepta assiduo auscultaverim studio. Cujus quidem studii fructus tantos percepi hodieque percipio, quantos explicare vix possim; ut aetatis illius grata me numquam deseruerit recordatio. Juvenili tum, fateor, incensus ardore flagrantique discendi cupiditate, temere fortasse per vastum illum rerum divinarum humanarumque campum exspatiatus sum, haud satis communis illius nostrae, meae certe propriae imbecillitatis viriumque tenuitatis memor. Quum enim et Wyttenbachius,

et vero Keesselius: quem in juris scientia omnium facile principem, ut quondam patri, sic senem nunc mihi praecipuum hujus disciplinae obtigisse magistrum in eximia mihi ponere soleo felicitate: quum uterque eorum, inquam, mihi auctor esset, ut ne nimium solutus vagarer, sed peculiarem quemdam ad accuratius elaborandum publiceque tractandum locum circumspicerem; ita eorum adhortationibus auctoritatique obtemperavi, ut prioribus consiliis repudiatis, duplicique fere studiorum rationi simul consulere cupiens, locum elegerim de ἀτιμίᾳ apud Athenienses, cum literis eum haud minus quam cum jure conjunctum, et vero novitate quadam sese eximie commendantem. Sed quod alias saepissime, tum expertus sum Hippocraticum: *ars longa, vita brevis est.* In materia colligenda, nedum digerenda et ad finem propositum adhibenda, medium elaborantem, ecce, necessitas occupavit Academiae relinquendae. Suadebat jam nunc, imo poscere a me videbatur, florens juvenilis aetas, ex scholae umbra in lucem et vitam prodire, ac diligentiam qualemcumque, praeceptoribus probatam, in publicum usum vertere utilitatemque cum aliorum tum mei ipsius. Caussa accedebat longe diversa, infausta illa, quaeque me velut instans premeret et urgens. Occupationem dico patriae a Napoleone ipsiusque adjectionem ad Imperium Gallicum, invisam nostrae genti profec-

toque huic luctuosissimam, neque eam nisi paucissimis iisque vilissimis civibus jucundam fructuosamque. In qua quidem rerum omnium perturbatione, quum ipsa quoque antiqua scholarum Academicarum ratio prorsus abrogaretur, et ad normam Universitatis, ut vocatur, Gallicae, omnia exigerentur et innovarentur: quumque mihi necesse esset, vel hisce me subjicere statutis, vel Academiam relinquere citiusque aliquando quam mihi proposueram Doctoris gradum capessere; posterius facere malui. Ergo intra brevissimum tempus Theses Inaugurales nonnullas, aliquanto tamen exquisitiores quam vulgo solet magisque elaboratas, et conscripsi, et typis tradendas curavi, et vero, ut eorum, quibus plurimum tribuebam, consiliis parerem, publice defendi. Apparatus, de quo supra diximus, haud jam contemnendus ille, ita a me sepositus est, ut vel postea, vel numquam adhibendus. Primum enim, et quamdiu dominatione Gallorum patria fuit oppressa, privato, quamvis nobilissimo, caussarum patroni officio totum me dedi: ipsaque eorum benivolentia qui tum principem inter juris peritos Hagae Comitum obtinebant locum, indeque nata opportunitas quotidie me exercendi neque mediocriter proficiendi, omnem sibi sumsit diem animique vires vindicavit omnes. Quumque, paucis annis interjectis, mira neque exspectata sortis vicissitudine, patriae et libertas et

dignitas restituerentur: tum vero acerrimo exsultare me gaudio: temporum conversioni, exiguis quamquam viribus, animo certe et voluntate, favere: rem item publicam, cum amicorum hortatu, tum meo ipsum judicio, attingere. Unde factum est, ut literarum studio licet nunquam deposito prorsus, otium tamen, quod mihi erat perexiguum, legendis dederim Veterum scriptis, ipse de scribendo ne cogitans quidem. Aliquanto post, et aliis de caussis, et in primis παῤῥησίᾳ illâ quam ex patris institutione meoque ipse ingenio attuleram, Scriptorumque illorum, a fucatis aulicisque saeculi praesentis moribus remotissimorum, lectione mihi confirmaveram, sed qua nonnullorum contraxeram inimicitias: ergo tum jam in literis illis sum expertus non modo secundae fortunae oblectamentum, adversae quoque in primis solatium esse, firmum utique vitae praesidium beatitudinisque ubertimum fontem. Jam ergo intra Classicorum lectionem non amplius me continens, cum alia quaedam sum aggressus, tum vetus et ab Academico fere tempore jacens opus denuo gestii suscipere et retractare. Quod ut strenuo labore perficerem, Wyttenbachii nostri non parum contulit publica admonitio. Etenim, me plane inscio neque adeo exspectante, ecce vir optimus, Philomathiae Libro III, L. B. anno MDCCCXVII, cum institutae illius scriptionis, tum Thesium Inauguralium, tum

mei ipsius, benevolentissimam eamdemque honorificentissimam fecerat mentionem. Nec statim quidem, aliis rebus omnibus tum occupatum Bruxellisque degentem, post demum aliquot annos, Wyttenbachioque defuncto, rei notitia per amicos ad me pervenit. Librum Philomathiae inspexi maxima cum voluptate, cui vero conjunctus erat pudor haud mediocris. Diversos animi hos sensus renovavit Mahnius, in Academia tum Gandavensi, nunc Leidensi, Literarum Professor: qui quum anno MDCCCXXIII edidisset Vitam Wyttenbachii, monumentum illud pietatis haud minus quam doctrinae et elegantiae: apud virum humanissimum, quamquam mihi tum non nisi nomine cognitum, mei rerumque mearum iteratam vidi commemorationem. Utrimque aut est nata, aut confirmata; tamdiu intermissi operis absolvendi firma et constans voluntas. In quo elaborandum esse eo accuratius intellexi, siquidem omnis diu cessaverat indulgentiae caussa quae juvenili tribui solet scriptioni, itaque praestabat nihil omnino, quam nihil novi doctisque probati, mittere in lucem. Unam esse viam sensi qua fieri posset ut ad hunc pervenirem finem, regiam illam, dico, qua ipsos fontes adirem, ex his mihi copiam compararem, eamque, nullo alieno subsidio quaesito, solisque fretus rationis historico-criticae auxiliis, in corpus redigerem. Ad eamque porro sequendam viam eo mihi

contigit proniori esse, cum quod olim, adhortatore severissimo eodemque omnium gravissimo Wyttenbachio, hanc ipsam ingredi inceperam, tum quod postea, ut modo significavi, Veterum lectionem, aliquoties intermissam quidem, numquam tamen deposueram, contra recentiorum Interpretum deque rebus illis antiquis Doctorum scripta prae officiis illis quotidianis modo non penitus neglexeram, nec fere, fateor, nisi nomine famaque ea cognoscebam. Primo igitur loco Oratores Atticos, affectos olim, imo magnam lectos partem, jam legi totos, item ea Platonis Xenophontisque opera quae huc in primis pertinere viderentur: deinde, collatis excerptis quae collegeram ex aliis quoque Veterum, tum ex paucis illis Recentioribus, per Wyttenbachium cognitis, quique ad illud usque tempus hanc Antiquitatis partem illustraverant, meo ipse periculo manus operi admovi. Non quo ingenio indulgerem, sed ut ea quae legeram in unum omnia colligerem, critice illustrarem, meo omnino Marte locum illum περὶ ἀτιμίας quam fieri posset diligentissime plenissimeque exponerem. Quod quum haud exiguo sane et vero plurium perfecissem annorum labore, tum demum amicos nonnullos consulere constitui multum me doctiores, in iisque principes Professores Leidenses, Tydemannum, jurisconsultorum elegantissimum, Bakium, dignum in cathedra literaria Ruhnkeniis Wyttenbachiisque suc-

cessorem. Hi consilium meum et viam qua incesseram haud dubitanter laudarunt, opus ipsum ita probarunt, ut ad edendum quoque hortarentur, modo praesentis rationem temporis haberem, utque prius cognoscerem quae his postremis annis de eodem scripta essent argumento, cum meo haec compararem labore, eumque ex iis, quantum opus esset, supplerem aut etiam emendarem. Quos libros quum mihi aut suppeditassent, aut indicassent ut ipse eos mihi comparare potuerim, eo lubentius his obsecutus sum consiliis, quia et egomet senseram sic necessario mihi esse faciendum. Quo magis inde a renatis literis nulla fuit aetas, qua juris antiquitatisque scientia Atticae tantopere progressa est, quantum hac nostra aetate Germanorum opera. Jam igitur scripta evolvi doctissima Hudtwalckeri, Boeckhii, Meieri, Schoemanni, Heffteri, Wachsmuthii, Platneri, Hermanni, aliorum. Eaque omnia ut magna legi cum delectatione, sic Boeckhii praesertim doctrinam admiratus sum copiosissimam vereque stupendam, Wachsmuthii scientiam illam ingenio sollertissimo superstructam. Post quos duumviros primas, me quidem judice, partes tribui oportet Carolo Frederico Hermanno, cujus opus Germanice scriptum, Lehrbuch der griechischen Staatsalterthümer, editum Heidelbergae anno MDCCCXXXI., compendium scientiae continet longe omnium accuratissimum, ubi res ab aliis proditae

magno cum acumine dijudicantur, nec paucae res ab ipso demum auctore produntur brevibusque at iisdem solidis argumentis probantur. Haec jam sic legi excerpsique, aut quae melius quam a me dicta invenirem, aut nova prorsus neque a me notata, loco quaeque suo disputationis meae, laudato scriptoris nomine, ea adderem, tum item verbo significarem si quando eruditissimorum cujusquam illorum virorum errorem deprehendisse mihi viderer, ejusmodi quidem cujus satis esset magnum momentum quique ad hanc scriptiunculam apprime pertineret. In eaque collatione illud mihi accidit jucundissimum, ita me animadvertere, paucissima esse ubi de sententia decedere oporteret: plura contra a me observata quae apud neminem eorum reperirem, neque omnino esse quod retractarem quae ab ipso prodidissem opusculi initio, praesentem locum non fuisse qui adhuc sibi sumserit accuratius elaborandum. Siquidem ergo nec magnopere defecit novitatis gratia quae tempore meo Academico commendabat argumentum, aut, quantum defecit, accuratiori id tractatione adhibendisque his eruditissimis Germanorum scriptis abunde me compensasse existimo: intelligentibus nunc harum rerum judicibus haud diffidenter trado libellum, sic fore sperans, eum neque inutilem videri; argumentumque gravissimum in eo satis probabiliter expositum.

CONSPECTUS OPERIS.

ΠΕΡΙ ΑΤΙΜΙΑΣ.

DE INFAMIA
JURE ATTICO
COMMENTATIO.

CAPUT I.

Prolegomena. Loci περὶ ἀτιμίας Jure Attico momentum.

Paucissima Juris sunt capita, rerum momento graviora, quam id quod est de poenarum ratione et discrimine. Quumque in eo genere nihil fere ab ipsa natura proficiscatur, contra, omnia ab hominum institutis pendeant ad eaque instituta sint composita; quanto magis haec inter se differant, tanto majorem item poenarum varietatem reperiri necesse est. Mirari ergo non oportet, non tantum eadem nonnullis gentibus improbanda poenisque sancienda, aliis contra vel licita vel etiam laudanda esse visa: (quod non profecto absque ulla exceptione nec de omnibus rebus dici potest): sed praesertim quoque in ipsis poenis definiendis leges diversorum populorum inter se magnopere ac veluti infinite differre. Sic alibi poena mortis legitima haud rara, imo satis frequens, alibi rarissima est, nonnullis etiam locis

plane incognita. In mulctis pecuniariis publicationeque bonorum similis exstat diversitas. In eoque magna sane temporum est efficacia, cum universe, ut aliarum aetatum aliae sint leges institutaque, tum magis etiam peculiariter, ut singulis fere civitatibus hac in parte quiddam tamquam proprium sit vindicandum. Illud quidem certissimum est, ad omnes omnino leges sanciendas itaque et ad poenas legibus definiendas quodam opus esse ingenii cultu: tum vero ubique has poenas initio omnes vel in corpore cruciando vel in bonis adimendis constitisse, nec nisi diu post eas praeterea quoque ad jura ei qui deliquisset auferenda extensas esse: idque eo valere, ut plerumque poenarum lenitas cum illo ingenii cultu sit conjuncta, cumque eo vel augeatur vel decrescat. Ita suppliciorum frequentia et atrocitas, qualem apud antiquissimos rudissimosque populos videmus, eamdem rursus in Romani Imperii posterioribus saeculis cum denuo ingravescente barbarie reperimus, eamdem item apud veteres illos Europae incolas invenimus. Contra, cum florentissimis Graeciae Romaeque temporibus, tum hoc praesenti apud nostros populos rerum statu, multo leniores utique poenae. Et ne hoc loco de hodiernis legibus, imo ne quidem de Romanorum jure dicamus; si solos duntaxat Graecos spectemus: quae gens haud dubie inter omnes veteres gentes ingenii animique cultu maxime excelluit, quaeque sibi hujus cultus potissimum auctor, ipsa ejus fructus, mores, leges, omnia omnis generis instituta, primum ad Romanos, porro etiam, instauratis literis, ad nostros majores transtulit, ejusque beneficii immortales merito gratias a nobis sibi postulat: si hos igitur Graecos spectemus, eorumque instituta, quantum quidem per temporum injuriam id nobis licet, scrutemur; illud animadvertemus, qui ibidem contra jura patria peccassent, eos nonnumquam morte quidem seu exilio seu

etiam bonis mulctatos fuisse, frequenter vero admodum, saepiusque adeo multum quam hodie, ejusmodi homines, poenae loco, communibus civium juribus vel partim vel universe esse privatos. Idque de omnibus omnino Graecis, maxime de Atheniensibus valet. Exemplis quibus ea res confirmetur, plena sunt cum aliorum Veterum scripta, tum Demosthenis potissimum orationes et quas reliquorum hodieque Atticorum habemus superstites. Quod profecto non est quod miremur, si quidem reputemus, antiquissimis jam temporibus Theseum, qui Rex Athenas legibus ornavit, eumdem et a Veterum multis primum Democratiae auctorem habitum esse (1), certe populo tantas in administranda civitate partes tribuisse, ut in regali etiam reipublicae forma cives Athenienses multis praecipuis et eximiis juribus uterentur. Potentia populi deinceps, regio imperio abrogato, magis magisque aucta et stabilita, a Solone ad exemplar conformata reipublicae vere popularis ejusdemque rite temperatae, postea, nimio libertatis studio, in licentiam abiit ac plebis dominatum. Sed quamquam hinc factum sit, ut saepius tota civitas in unius esset manu ac potestate viri primarii, aut cujuscumque demum cui modo faveret vulgus: nemini tamen gens illa umquam tantum indulsit, quin semper, jugi omnis ac freni impatiens, nisi ipsa suâ libidine imperaret, certe imperare sibi videretur. Et vero quum nemo civium tam humili loco natus esset vel ita omnibus fortunae facultatibus destitutus, quin industriâ suâ sibi viam ad rempublicam capessendam et ad omnes adeo honores consequendos aperire posset; facile apparet, quanti necesse fuerit Athenis jus civitatis aestimari: ut merito etiam severissime caverint leges, ne quis jus illud aut falso usurparet, aut, peregrina pro cive civi uxore locandâ, cum indignis communicaret. Itaque et

(1) Cf. Isocrates, Panath. p. 259 et Helen. Encom. p. 215. A.

inter poenas legibus Atheniensium statutas, nulla est quae tam frequenter commemoretur, quam poena *ἀτιμίας*. Cujus tamen frequentiae caussa partim quoque in hujus populi mansuetudine quaerenda est et humanitate. Etenim universe quidem a moribus Graecorum longe abhorrebant ejusmodi supplicia, quibus liberi hominis corpus, poenae loco, vel mutilaretur vel doloribus afficeretur: quales cruciatus non fere nisi in servos adhibebantur. Et cum in ipsâ Graeciâ humanitatis sedes quaedam praecipua essent Athenae, tum illa liberorum corporum quasi sanctitas ibidem in primis obtinebat (1). Denique tertia item caussa adferenda cur tam crebro *ἀτιμίας* mentio nobis in Atheniensium rebus occurrat; addendum enim est, eos litium controversiarumque forensium fuisse cupidissimos: quod

(1) Cf. Demosthenes in Androt. p. 610. pr., ubi vere ait: *Καὶ μὴν, εἰ θέλοιτε σκέψασθαι, τί δοῦλον, ἢ ἐλεύθερον εἶναι, διαφέρει, τῦτο μέγιςον ἂν εὕροιτε, ὅτι τοῖς μὲν δούλοις τὸ σῶμα τῶν ἀδικημάτων ἁπάντων ὑπεύθυνόν ἐςι· τοῖς δ' ἐλευθέροις, κᾂν τὰ μέγιςα τύχωσιν ἀδικῦντες, τῦτό γ' ἔνεςι σῶσαι· εἰς χρήματα γὰρ δίκην περὶ τῶν πλείςων παρὰ τύτων προσήκει λαμβάνειν.* »Et sane, si scrutari velitis, quid intersit, utrum »servus, an liber sis, hoc forte potissimum invenietis, quod servis »quidem corpus omnium peccatorum rationes reddit: liberis ho»minibus vero, etiamsi quam maxime peccaverint, hoc quidem »(corpus) servare licet: in plerisque enim poenam de his sumere »in pecunias oportet." Prudenter autem hoc intelligendum est, nec nisi de poenis in crimina statutis, minime de criminum detegendorum ratione. Contra diserte ait Cicero Partit. Orat. 34: »Apud quos etiam (Athenienses), quod acerbissimum est, liberi »civesque torquentur." Idque profecto et aliunde constat. Cf. recensio operis cui titulus: Die Athenäische Gerichtsverfassung, von A. W. Heffter, Cöln, 1822: in Diario Literario Jenensi (Jen. Alg. Liter. Zeit. 1822. Ergänz. Bl. n°. 70 p. 170 sqq.:) Neque immerito, cum a Cicerone l. l., tum in primis severe reprehenditur a doctissimo hujus recensionis auctore. Sed nos hoc loco de poenis duntaxat loquimur: nec quoque nisi ad poenas pertinent Demosthenis verba.

haud scio an apud illas fere gentes perpetuo observemus, quae populari maxime delectentur civitatis forma. De Atheniensibus quidem testimonia Veterum excitare infinitum sit. Nos hoc loco defungemur uno memorando scriptore omnium festivissimo Luciano, apud quem in Dialogo Icaromenippo (1) narrat ille Menippus, sese, alis aquilae et vulturis sibi adaptatis, harum ope in Lunam evolasse, indeque Terram omnesque ejus partes infra se positas perspexisse: igitur et regum et privatorum insignia facta, item studia quotidiana, animadvertisse varia, prout alium alio natura impelleret. Exemplis deinde quibusdam singulorum hominum allatis, addit, in genere quidem, ut diversas gentes oculis perlustraret, ita singulas vidisse diversa vitae ratione utentes, quum Getae bellando, Scythae plaustris vehendo, alii aliter diem transigerent: *Athenienses* vero *caussis in foro dicendis:* ὁ δ' Ἀθηναῖος, inquit, ἐδικάζετο (2).

(1) § 16. Tom. 2. p. 771.

(2) De Atheniensium φιλοδικίᾳ conferri possunt Thucydides I. 77. Aelianus Var. Hist. III. 28. Aristophanes Equit v. 1314. Acharn. v. 375 et Schol. ad dd. ll. Idem in Avib. v. 40. sq.: Nub. v. 207. sq. tum Vesp. passim.

CAPUT II.

Diversa τῶν ἀτίμων genera.

His itaque praemissis, ut quanti sit momenti intelligatur in jure Attico caput illud quod est de infamia (1), nunc jam ad rem ipsam veniamus. Et siquidem plura fuerunt Athenis, eaque admodum inter se diversa, genera τῶν ἀτίμων: haec jam ad certas classes et ordines redigere conabimur, tum de omnibus singillatim exponemus. Primum, exemplo Petiti, locum insignem adferamus Andocidis, quem integrum describere eo magis est operae pretium, quod unus is locus ex omni Antiquitate nobis quidem innotuit, cujus propositum sit de diversis ἀτιμίας generibus apud Athenienses referre. Andocidem igitur fere ducem sequemur, ita tamen, ut ejus sententiam ex aliis subinde scriptoribus illustremus ac suppleamus, tum etiam ordinem observemus paullo diversum. Qua in disputatione si forte aliquoties a vero aberraverimus, eo majori jure veniam nobis ab aequis judicibus postulare posse videmur, quod praeter Petitum, qui in Commentario ad Leges Atticas, IV. 9. n°. 21, p. 469. sq. ed. Wess., paucis verbis hunc Andocidis locum expedivit, nemo, quod sciam, Eruditorum hoc argumentum sibi sumserit accuratius elaborandum.

Locus igitur ille est ex Oratione vulgo De Mysteriis

(1) *Infamiam* dicimus, ut rem uno Latino verbo significemus. Quamquam omnino assentimur Sigonio de Rep. Ath. III. 1. monenti, ἀτιμίαν Latine *infamiam* dici vix commode posse. Idque profecto ex hac ipsa nostra disputatione porro satis patebit.

inscripta, p. 35 sq. Vol. IV. Oratt. Gr. Reisk. Andocides postquam Atheniensibus in mentem revocasset, ipsos, classe ad Aegos Potamos a Lacedaemoniis deleta, Urbeque ab iisdem obsessa, concordiae caussa τοὺς ἀτίμους ἐπιτίμους ποιῆσαι, *infames pristino honori ac dignitati restituisse*, jam porro ita progreditur. Οἱ δὲ ἄτιμοι τίνες ἦσαν, καὶ τίνα τρόπον ἕκαστοι, ἐγὼ ὑμᾶς διδάξω. Οἱ μὲν ἀργύριον ὀφείλοντες τῷ δημοσίῳ, ὁπόσοι εὐθύνας ὦφλον (1), ἄρξαντες ἀρχὰς, ἢ ἐξούλας, ἢ γραφὰς, ἢ ἐπιβολὰς ὦφλον, ἢ ὠνὰς πριάμενοι ἐκ τοῦ δημοσίου, μὴ κατέβαλον τὰ χρήματα, ἢ ἐγγύας ἐγγυήσαντο (2) πρὸς τὸ δημόσιον. τούτοις ἡ μὲν ἔκτισις ἦν ἐπὶ τῆς ἐννάτης πρυτανείας· εἰ δὲ μὴ, διπλάσιον ὀφείλειν, καὶ τὰ κτήματα αὐτῶν πεπρᾶσθαι. εἷς μὲν τρόπος οὗτος ἀτιμίας ἦν. ἕτερος δὲ, ὧν τὰ μὲν σώματα ἄτιμα ἦν, τὴν δ' οὐσίαν ἔσχον καὶ ἐκέκτηντο· οὗτοι δ' ἂν (3) ἦσαν ὁπόσοι

(1) Ita legendum est. Antea vitiose legebatur ὤφειλον. Correctio, probata Sluitero Lection. Andocid. L. B. 1804. p. 129, profecta est a Piersono ad Moeridem p. 427: Reiskio in Curis Poster. Oratt. T. VIII. p. 458. Ὀφείλειν enim est *debere*: ὄφλειν, *condemnari*, quod hic sensus postulat. De quo discrimine et postea videbimus.

(2) Sluiterus p. 130 legit ἐγγυήσαντες: »quicumque vel redemtis »vectigalibus, vel cum aerario publico sponsores pro debitoribus »essent facti, debitas pecunias non solvissent." Nec tamen ea mutatio necessaria videtur: potius toleranda, ut saepius alibi, levis illa structurae negligentia quam in versione expressimus.

(3) Οὗτοι δ' ἂν ἦσαν: »hi autem *fere* erant." De quo usu particulae ἂν conferatur Wyttenbachius Bibliothec. Crit. III. 4. p. 33 sqq. Exempla alia sunt apud Theophrastum Charact. c. 25 init. Lysiam Orat. II. p. 103. 113. 125: Galenum Protrept. c. 8. init., ubi et eo sensu vertit, et Wyttenbachium d. l. citavit novissimus editor Willetus, L. B. 1812. p. 95. Attici interdum hanc particulam cum futuro construunt: qua de re quaedam notavit ad Euripidis Medeam J. Lentingus, Zutphan. 1819. p. 136. Nonnumquam apud eosdem ἂν duplex, aliquando, sed raro, triplex legitur: animadvertente eodem p. 119. Et hunc quidem usum, quo ἂν bis ponitur in eadem sententia, Xenophonti Apol. Socr. 7 jam recte vin-

κλοπῆς ἢ δώρων ὄφλοιεν· τούτους ἔδει, καὶ αὐτοὺς, καὶ τοὺς ἐκ τούτων, ἀτίμους εἶναι· καὶ ὁπόσοι λίποιεν τὴν τάξιν, ἢ ἀςρατείας, ἢ δειλίας, ἢ ἀναυμαχίας (1) *ὄφλοιεν, ἢ τὴν ἀσπίδα ἀποβάλοιεν, ἢ τρὶς ψευδομαρτυριῶν ἢ τρὶς ψευδοκλητίας ὄφλοιεν, ἢ τοὺς γονέας κακῶς ποιοῖεν. οὗτοι πάντες ἄτιμοι ἦσαν τὰ σώματα, τὰ δὲ χρήματα εἶχον. ἄλλοι αὖ κατὰ προςτάξεις, οἵτινες οὐ παντάπασιν ἄτιμοι ἦσαν, ἀλλὰ μέρος τι αὐτῶν· οἷον οἱ ςρατιῶται, οἷς, ὅτι ἐπέμειναν ἐπὶ τῶν τυράννων ἐν τῇ πόλει, τὰ μὲν ἄλλα ἦν, ἅπερ τοῖς ἄλλοις πολίταις, εἰπεῖν δ᾽ ἐν τῷ δήμῳ οὐκ ἐξῆν αὐτοῖς, οὐδὲ βουλεῦσαι· τούτων* (2)

dicaverat Bachius, cum in Nota ad h. l., tum in Ind. Gr., eumdem Demosthenis et Aeliani exemplis confirmans. Ter quoque in eadem sententia ponitur a Polybio XVIII. 18. § 1. Addendum, hanc particulam, cum indicativo junctam, eleganter poni pro subjunctivo: quod et aliunde patet, et ex locis ibidem a Bachio in Indice Xenophonteo allatis. Cujus rei praeterea plura apud optimos scriptores exstant exempla: notante, ne alios memoremus, Valckenario, Schol. in Euangel. Luc. 17, 6. Tom. I. p. 236 sq.: in Epist. ad Hebraeos, 10, 2. Tom. II. p. 560 sq.: quo posteriori loco item Bionis et Athenaei verba adfert. Omnino, sive indicativo, seu etiam subjunctivo jungatur, vim dubitandi solet vel sententiae addere vel eamdem augere: quem morem, optimo cuique scriptori quasi solennem, minus bene perspexisse videtur Schweighäuserus; indeque loca Polybii, IX. 3. § 5. et 19. § 6, temere in Lexico Polybiano in suspicionem vocasse. Idem, apud eumdem Polybium, I. 1 § 1, recte hanc particulam ejecit, quippe contra consensum omnium codicum a prioribus editoribus receptam, nec vero necessariam: ut profecto multis locis, quoad sensum, hoc ἂν vel adjectum esse, vel item abesse potest: animadvertente eodem ibid. in Not., Tom. V. p. 115 sq.

(1) Ita legendum est: ut suo loco videbimus.

(2) *Τούτων*, i. e. *harum rerum*: quo loco ἄτιμος verti possit *exsors*, *expers*. Similiter scriptum est apud Demosthenem de Rhodior. libert. p. 200. 15: *ἀτίμους τοῦ συμβουλεύειν ὑμῖν ποιεῖσθαι*: »exsortes facere a deliberando vobiscum." Item apud Lysiam Adv. Eratosth. p. 397. 1. est *ἄτιμος τῆς πόλεως*: quod vitiosum videtur Marklando et Reiskio: non mihi; nam eadem paene ratione accipi potest.

ἦσαν οὗτοι ἄτιμοι· αὕτη γὰρ ἦν τούτοις πρόσταξις· ἑτέροις οὐκ ἦν γράψασθαι· τοῖς δὲ, ἐνδεῖξαι· τοῖς δὲ, μὴ ἀναπλεῦσαι εἰς Ἑλλήσποντον, ἄλλοις δ' εἰς Ἰωνίαν· τοῖς δ' εἰς τὴν ἀγορὰν μὴ εἰσιέναι πρόσταξις ἦν. » Quinam vero ἄτιμοι essent, et quo » modo singuli eorum, ego vos docebo. Alii quidem (erant) » pecuniam aerario publico debentes, quicumque ratio» num essent damnati, muneribus gestis, quive actionibus » aut rei judicatae, aut publicis, aut ad mulctas essent » damnati: item qui quum redemissent publica, pecu» nias non solvissent: quive praedes pecuniae publicae » essent facti. His (omnibus) debiti quidem solvendi tem» pus constitutum erat nona Prytanea: sin vero non » (solvissent), duplum debere, eorumque bona (publice) » vendi. Unus itaque ἀτιμίας modus hic erat. Alter vero, » quorum corpora quidem erant ἄτιμα, qui tamen rem fa» miliarem sibi habebant ac possidebant. Hi fere erant qui» cumque vel furti vel munerum essent damnati: eosque » oportebat cum ipsos, tum eorum posteros esse ἀτίμους: » et quicumque ordines aciei deseruissent, vel militiae » detrectatae, vel ignaviae, vel pugnae navalis derelictae » damnati essent, vel scutum abjecissent, vel ter falsi » testimonii, vel ter falsae citationis essent damnati, vel » parentes male tractassent. Hi omnes corporibus erant » ἄτιμοι, bona vero sua sibi habebant. Alii rursus per » mandata (erant ἄτιμοι), qui non prorsus erant ἄτιμοι, » verum quadam parte: veluti milites, quibus, quod sub » tyrannis (1) in Urbe mansissent, reliqua quidem cum » aliis civibus erant communia, in populo vero dicere » non licebat, nec Senatui interesse. Harum rerum illi » erant expertes: hoc enim in ipsos mandatum erat. Aliis

(1) Significantur *Quadringenti:* quod cum temporum ratio docet, tum ostendunt ipsius psephismatis verba, quae statim subjungemus. De his Quadringentis conferendus est in primis Thucydides VIII. 53—97. Addi potest Xenophon, Hist. Gr. II. 3. 17 et 18.

» non licebat actiones instituere publicas: aliis, (non li» cebat) deferre: his vero, non navigare in Hellespontum: » illis, in Joniam: illis rursus, in forum non intrare, » mandatum erat."

Hic locus quo melius intelligatur, omnino adjungendus est alter qui mox apud eumdem Andocidem sequitur p. 36—38, ipsaque psephismatis verba continet quo restitutionem illam τῶν ἀτίμων decrevit Patroclides. Et hujus item psephismatis priorem eamque majorem partem integram apponamus, cum perspicuitatis caussa, tum quod ibi exceptiones quaedam ab immunitate illâ reperiantur valde notandae.

ΨΗΦΙΣΜΑ. Πατροκλείδης εἶπεν· Ἐπειδὴ ἐψηφίσαντο Ἀθηναῖοι τὴν ἄδειαν περὶ τῶν ὀφειλόντων (1), ὥςε λέγειν ἐξεῖναι, καὶ ἐπιψηφίζειν (2), ψηφίσασθαι τὸν δῆμον ταῦ-

(1) ἄδειαν περὶ τῶν ὀφειλόντων, e. i. ἄδειαν τοῦ λέγειν περὶ τ. ο.: ut bene Reiskius in Indice.

(2) Ἐπιψηφίζειν, populum in suffragia mittere: cf. Xenophon, Memor. Socr. I. 1. 18: ad quem locum legendi sunt Valckenarius et Ernestus ab iisque citati. Addantur Herodotus VIII. 61. pr.: Thucydides VI. 14: Xenophon Anab. V. 1. 14: 6. 35: VI. 1. 25: Plato Gorg. p. 474. A. Antiphon Or. XV. p. 790. 3: Demosthenes in Androt. p. 598. 4. Ex quo Demosthenis loco, item e Xenophonte Memor. Socr. l. c. intelligitur, illud, in concione quidem, mandatum fuisse Epistatae: i. e. Epistatae Prytani, ex Tribu πρυτανευέσῃ: Thucydides d. l. In Tribunali, hoc erat magistratus illius qui judicio praeesset: Demosthenes in Timocrat. p. 717. 22. p. 746. 23: p. 749. 2. Nonnumquam simili sensu usurpatur ἐπιψηφίζειν τὰ ψηφίσματα, veluti ab Aeschine in Ctesiph. p. 385. Quum autem idem populo seu judicibus potestatem daret ferendi suffragii, idem suffragia colligeret ac dinumeraret; hinc aliquando haec conjunguntur, veluti a Thucydide l. c. VI. 14: ἐπιψήφιζε, καὶ γνώμας προτίθει αὖθις Ἀθηναίοις: aliquando item dicitur ἐπιψηφίζειν τὰς γνώμας: Aeschines De Fals. Leg. p. 243. In Ctesiph. p. 515: 519. Eodem vero sensu, quo ἐπιψηφίζειν, est ἐπιτρέπειν τῷ δήμῳ ψηφίσασθαι, apud Xenophontem Mem. S. IV. 4. 2.: item ψῆφον ἐπάγειν, apud Thucydidem I. 125: Demosthenem

τα, ἅπερ ὅτε ἦν τὰ Μηδικὰ, καὶ συνήνεγκεν Ἀθηναίοις ἐπὶ τὸ ἄμεινον. περὶ δὲ τῶν ἐπιγεγραμμένων εἰς τοὺς πράκτορας, ἢ τοὺς ταμίας τῆς θεοῦ (1) καὶ τῶν ἄλλων θεῶν, ἢ τὸν βασιλέα, ἢ εἴ τις μὴ ἐξεγράφη μέχρι τῆς ἐξελθούσης βουλῆς, ἐφ᾽ ἧς Καλλίας ἦρχεν, ὅσοι ἄτιμοι ἦσαν, ἢ ὀφείλοντες· καὶ ὅσων εὐθῦναι τινές εἰσι κατεγνωσμέναι ἐν τοῖς λογιστηρίοις ὑπὸ τῶν εὐθυνῶν (2), ἢ τῶν παρέδρων· (3) ἢ μήπω

in Everg. et Mnesib. p. 1147: *δῦναι τὴν ψῆφον*, apud eumdem, in Midiam p. 542. 18 et alibi. Caeterum verbum medium *ἐπιψηφίζεσθαι*, eadem fere vi qua simplex *ψηφίζεσθαι*, pro *suffragiis comprobare, decernere*, legitur apud Xenophontem Anab. VII. 6. 14: quo loco tamen in libris scriptis variatur: tum ibid. 3. 14, ex correctione quidem Kusteri, Hutchinsono et Zeunio probata. Eaque item significatione ponitur ab eodem Hist. Gr. I. 1. 24: sed et hic libri variant; ut ea dictio, illo quidem sensu, non fere sese tueatur nisi auctoritate ejusdem Xenophontis Hist. Gr. IV. 2. 2. Nam et apud Polybium IV. 16. § 3. bene Schweighäuserus ex omnibus Mss. reposuit *ἐψηφίσαντο*: quod verbum ea notione frequentissimum est: quum antea vitiose legeretur *ἐπιψηφίσαντο* vel *ἐπεψηφίσαντο*. — Et vero hisce jam conscriptis, et vidi et legi Joannis Luzacii Disquisitionem de Epistatis ac Proëdris Atheniensium, hoc ipso nomine inscriptam, subjectamque ipsius Orationi de Socrate Cive, L. B. 1796: unde ea ipsa quae diximus, partim magis etiam confirmantur. Quae tamen Disquisitio, ut universe lectu dignissima est, ita eadem videtur caute adhibenda.

(1) *Ἡ Θεὸς* ita simpliciter Atticis Scriptoribus dicitur *Minerva*, veluti huic ipsi Andocidi de Myster. p. 48. 5: Pseudo-Plutarcho, decretum ex Caecilio referenti, Vit. X. Oratt. p. 834. A: quem locum postea Cap. V. spectabimus. Eaque *inscriptio*, hic memorata, a Praetoribus fiebat in Arce, *ἐν ἀκροπόλει*: Demosthenes in Theocrin. p. 1337. 24, ubi ejusmodi homines dicuntur *γεγραμμένοι ἐν ἀκροπόλει*: cf. ibid. p. 1327. 25.

(2) Reiskius legi malit *εὐθυντῶν*. Nec tamen necessaria mutatio, ut infra videbimus.

(3) *Πάρεδροι, assessores*, veluti Archontis: Aeschines in Timarch p. 159. Demosthenes in Mid. p. 572. 10. Adv. Theocrin. p. 1332. 14. Regis Sacrorum: Demosthenes in Neaer. p. 1369, 1372. sq. Binos singuli eligebant, quos vellent, Archon, Rex,

εἰσηγμέναι εἰς τὸ δικαστήριον (1) γραφαὶ τινές εἰσι περὶ τῶν εὐθυνῶν ἢ προστάξεις, ἢ ἐγγύαι τινές εἰσι κατεγνωσμέναι, εἰς τὸν αὐτὸν τοῦτον χρόνον· καὶ ὅσα ὀνόματα τῶν τετρακοσίων τινὸς (2) ἐγγέγραπται, ἢ ἄλλο τι περὶ τῶν ἐν τῇ ὀλιγαρχίᾳ πραχθέντων ἐστί που γεγραμμένον· πλὴν ὁπόσα ἐν στήλαις γέγραπται τῶν μὴ ἐνθάδε μεινάντων, ἢ ἐξ Ἀρείου πάγου, ἢ τῶν Ἐφετῶν, ἢ ἐκ Πρυτανείου, ἢ Δελφινίου ἐδικάσθη (3) ὑπὸ τῶν βασιλέων, ἢ ἐπὶ φόνῳ τίς ἐστι φυγὴ, ἢ θάνατος κατεγνώσθη, ἢ σφαγεῦσιν ἢ τυράννοις· τά τε ἄλλα (4) πάντα ἐξαλεῖψαι τοὺς πράκτορας καὶ τὴν βουλὴν, καὶ τὰ εὑρημένα (5) πανταχόθεν, ὅπου τί ἐστιν ἐν τῷ δημοσίῳ· καὶ εἰ ἀντίγραφόν που ἐστὶ, παρέχειν τοὺς θεσμοθέτας καὶ τὰς ἄλλας

Polemarchus: quorum ipsorum tamen *παρέδρων* erat *probatio*, *δοκιμασία*, cum in Senatu Quingentorum, tum in judicio, antequam munus obirent, et vero, munere gesto, ejus *rationes* dabant, *εὐθύνας*: Harpocration *v.* *πάρεδρος*: Pollux VIII. 92. Et Regem quidem Sacrorum, quos vellet, sibi *παρέδρους* allegisse, constat item ex locis Orationis Demostheneae in Neaeram modo memoratis, in primis p. 1372. 22., unde exemplo patet, hujusmodi Archontem, quippe sorte lectum, si rerum imperitus ipse esset, sibi peritiores Paredros assumsisse. Apud eumdem Demosthenem in Mid. l. c. mentio exstat patris, a filio Archonte Eponymo Paredri allecti. Quibus locis ut subinde *πάρεδροι* memorantur, sic eorum munus ipsum *παρεδρεία*, veluti d. l. in Neaer. p. 1373. 22, eo munere fungi, *παρεδρεύειν* dicitur, ibid. et in Mid. l. c.

(1) Reiskius mavult *ἢ γραφαὶ*, ut *εἰσηγμέναι* redeat ad *εὐθύναι*.

(2) Reiskius deleri vult *τινὸς*, quod profecto non necessarium videtur.

(3) Antea vitiose legebatur *ἢ ὑπὸ τῶν βασιλέων*: sed particula *ἢ*, quippe ab hoc loco aliena, certissime delenda erat, cum Luzacio apud Sluiterum p. 131 sqq. Cf. Wyttenbachius Bibl. Cr. XII. 3. p. 111. sqq; qui observat, in verbis *τίς ἐστι* adhuc mendum haerere videri. Equidem ea sic recte sese habere putem: ut postea explicabimus.

(4) Fortasse scribendum sit *τὰ δὲ ἄλλα*, quae est conjectura Reiskii ad h. l., probata Sluitero p. 133.

(5) Ita legendum est cum Reiskio, pro vulgato *εἰρημένα*.

ἀρχάς. ποιεῖν δὲ ταῦτα τριῶν ἡμερῶν, ἐπειδὰν δόξῃ τῷ δήμῳ· ἃ δ' εἴρηται ἐξαλεῖψαι, μὴ κεκτῆσθαι ἰδίᾳ μηδενὶ ἐξεῖναι· μηδὲ μνησικακῆσαι μηδέποτε. εἰ δὲ μή, ἔνοχον εἶναι τὸν παραβαίνοντα ταῦτα, ἐν τοῖς αὐτοῖς, ἐν οἷσπερ οἱ ἐξ Ἀρείου πάγου φεύγοντες· ὅπως ἂν ὡς πιςότατα ἔχοι Ἀθηναίοις, καὶ νῦν καὶ εἰς τὸν λοιπὸν χρόνον.

» POPULISCITUM. Patroclides dixit: Posteaquam decre» verunt Athenienses impunitatem super aerariis, ut li» ceat (eorum caussâ) dicere atque in suffragia (populum) » mittere; populum decernere eadem, quae quidem (de» crevit) tempore belli Medici, quaeque Atheniensibus bene » evenerunt. (Haec vero populum decernere) de inscriptis » apud Exactores, vel apud Quaestores Minervae et alio» rum Deorum, vel apud Regem Sacrorum, vel (de iis) » si quis non expunctus sit e tabulis ante novissimum » illum Senatum quo Archon fuit Callias, quotquot ἄτιμοι » erant vel aerarii: item quorum rationes quaedam red» ditae in munerum gestorum examine improbatae fue» rint a magistratibus recipiendarum rationum vel ab » horum assessoribus: vel nondum in judicium deductae » fuerint actiones quaedam de rationibus munerum red» dendis: vel mandata, vel vadimonia quaedam sint im» probata, ad idem usque tempus: item quaecumque no» mina Quadringentorum alicujus inscripta sint, vel aliud » quid alicubi scriptum sit de rebus sub Oligarchia ges» tis: exceptis iis quorum nomina pilis inscripta sint ex» sulum, aut qui ab Areopago, vel ab Ephetis, vel a » Prytaneo, vel a Delphinio condemnati sint auctoritate » Regum Sacrorum, sive propter caedem sit exsilium » quoddam, sive mors sit decreta, vel sicariis, vel tyran» nis. Reliqua vero omnia eradere debere Exactores et » Senatum, et inventa undique, ubicumque quid sit in » publico: et si quo est exemplum, praebere Thesmo» thetas et alios magistratus. Facere autem (oportere)

» haec spatio trium dierum, postquam populo placuerit: » quae vero dicta sunt esse eradenda, nemini licere haec » privatim possidere: nec umquam id exprobrare. Sin » minus, eum qui haec transgreditur, iisdem teneri, qui» bus damnati ab Areopago, ut haec quam firmissima » sint Atheniensibus, et nunc, et in reliquum tempus."

Priori illi loco Andocidis explicando, (nam alterum omisit,) Petitus non fere nisi unum adhibet Ulpiani locum, qui in Scholiis ad Demosthenis Orationem in Midiam, haec verba, *καθάπαξ ἄτιμος*, quibus utitur Demosthenes l. c. p. 542. 24, haec, inquam, verba ita illustrat, p. 343. ed. Paris.: (in ed. Francof. p. 664. B. locus Ulpiani mutilus legitur:) *Ἀσαφὲς τὸ καθάπαξ. ἐςὶ δὲ τοιοῦτο. Τῶν ἀτιμουμένων οἱ μὲν τὸ τρίτον μέρος τοῦ σώματος ἠτιμοῦντο· οἱ δὲ τὰ δύο· οἱ δὲ ὁλόκληρον. οὗτοι δὲ οὐδενὸς μετεῖχον τῶν κοινῶν. τοῦτο οὖν ἐςὶ τὸ καθάπαξ, ἀντὶ τοῦ ὁλοκλήρως.* » Obscurum (est) illud *καθάπαξ*. Est autem » hujusmodi. Infamiâ notatorum illi quidem tertiam » corporis partem infames erant: illi vero duas partes: » illi vero penitus. Hi autem nullius participes erant ex » communibus (juribus). Hoc igitur est illud *καθάπαξ*, » pro *penitus*." Igitur Petitus, quos *τὸ τρίτον μέρος τοῦ σώματος ἀτιμοῦσθαι* ait Ulpianus, eosdem intelligit quos Andocides vocat *ἀτίμους κατὰ προςτάξεις*. Qui Ulpiano dicuntur *τὰ δύο μέρη τοῦ σώματος ἀτιμοῦσθαι*, hos interpretatur *τοὺς ὀφείλοντας τῷ δημοσίῳ*. Denique *ὁλόκληρον ἀτίμους* dictos putat, quos Andocides altero loco recenset, *οἳ ἄτιμοι ἦσαν τὰ σώματα, τὰ δὲ χρήματα εἶχον*. Sed hac de re postea videbimus. *Καθάπαξ ἄτιμον* quidem ab Ulpiano recte definiri, ex ipsius Demosthenis d. l. verbis perspicuum est: *ἁπάντων ἀπεςέρηται τῶν ἐν τῇ πόλει, καὶ καθάπαξ ἄτιμος γέγονε*: » omnibus (rebus) in » civitate privatus est, et penitus infamis est factus." Nunc, antequam ulterius progrediamur, verba item adscriba-

mus. Demosthenis, in Aristogit. I. p. 779, ubi Aristogitonem exagitans, cui quum leges tamquam ἀτίμῳ facultatem negarent in concione dicendi, isque nihilominus et orationes ad populum habuisset et decreta proposuisset: » Quid tandem," ait Demosthenes, » si quis roget, ut » vel ex minoribus natu, vel ex ditissimis, vel ex iis qui » muneribus functi sint, vel ex ejusmodi genere dun» taxat Oratores admittantur, nonne hominem illum, » tamquam rei publicae eversorem, mortis damnabitis, et » merito damnabitis? Et tamen illa omnia minus gravia » sunt, quam si quis, earumdem, quarum iste (Aris» togiton), partium, illud contendat:" τοῖς βιαζομένοις ἐξεῖναι λέγειν, ἢ τοῖς ἐκ τοῦ δεσμωτηρίου, ἢ τοῖς ὧν ὁ δῆμος ἀπέκτεινε τοὺς πατέρας, ἢ τοῖς ἀποδεδοκιμασμένοις, ἄρχειν λαχοῦσιν, ἢ τοῖς ὀφείλουσι τῷ δημοσίῳ, ἢ τοῖς καθάπαξ ἀτίμοις, ἢ τοῖς πονηροτάτοις, καὶ οὖσι, καὶ δοκοῦσι: » dicere licere vi agentibus, vel e carcere elapsis, vel iis » quorum patres populus occidit, vel iis, qui, sortiti ma» gistratum, improbati sunt, vel iis qui reipublicae debent, » vel qui penitus sunt infames, vel qui improbissimi et » sunt et habentur." Quo utroque Demosthenis loco ut καθάπαξ ἄτιμος haud dubio, secundum verissimam illam Ulpiani interpretationem, usurpatur de gravissimo infamiae genere, deque iis qui universe, qui penitus, sint infames, ita et eadem dictio eodem hoc sensu intelligenda est in hac ipsa oratione Midiana p. 524. 22.

CAPUT III.

Loci constitutio. Ἄτιμοι, ἀτιμία, ἀτιμοῦσθαι. Σῶμα.

Et haec quidem fere apud Veteres inveni, ubi diversa, quae Athenis fuerunt, genera τῶν ἀτίμων, recensentur quodammodo. His itaque in primis totius loci constitutio superstruenda erit. Sed primum omnium quaedam universe exponenda sunt de vi ac potestate verborum ἀτιμίας aliorumque nonnullorum, quae nobis nunc jam occurrerunt, et postea saepius etiam occurrent.

Illud vel ex solis, quae supra adscripsi, Andocidis verbis puto esse perspicuum: quod et supra, Cap. II. init. in not., a Sigonio animadversum esse diximus: uno Latino verbo non reddi posse, imo vix una definitione comprehendi, variam illam ac multiplicem ἀτιμίας in Jure Attico notionem; ut hic non opus sit afferre, quae cum Taylorus ad Libanii Argumentum Orationis Demostheneae De Falsa Legatione, (Annot. p. 335. ed. R.,) tum alii viri docti hac de re prodiderunt: siquidem eorum definitiones ad certum duntaxat genus τῶν ἀτίμων pertinent. Unum tantummodo locum apponamus Demosthenis, seu potius Philippi Regis, in Epistola ad Senatum populumque Atheniensium, apud illum in Oratione De Corona. p. 283., qua Philippus, aliis praemissis, sese paratum esse refert ad inducias cum Atheniensibus faci-

undas, dum modo, ut porro ait, τοὺς οὐκ ὀρθῶς συμβουλεύοντας ὑμῖν παραπέμψαντες, τῆς προσηκούσης ἀτιμίας ἀξιώσητε; » eos qui non recte vobis consulant dimittentes, justâ ἀτιμίᾳ afficiatis:" ubi ἀτιμίας nomine genus quodlibet poenarum significari videtur, idque nomen de industriâ a Philippo esse usurpatum. Et profecto, hac appellatione continebantur omnes quicumque communibus civium Atheniensium juribus non plene fruerentur: quod et diserte declarat Demosthenes In Philipp. III. p. 122. 13: ἄτιμον nuncupari solere, εἰ τῶν Ἀθήνῃσι κοινῶν μὴ μεθέξειν ἔμελλεν, » si (quis) non particeps esset » communium Athenis:" ibidemque p. 121. pen.: ἄτιμον οἴεσθε προσήκειν εἶναι καὶ μηδενὸς τῶν κοινῶν μετέχειν: „ἄτιμον esse putatis oportere et nullius communium esse participem." (1). Contra, quorum jus civitatis integrum esset et illaesum, vocabantur ἐπίτιμοι, eorumque status ἐπιτιμία. Sed ut haec ἐπιτιμία erat una semper eademque, quippe quae summâ constaret omnium jurium quae Atheniensi vel tamquam civi, vel tamquam libero homini, vel omnino tamquam homini, a legibus tribuerentur: ita eadem variis omnino modis infringi aut prorsus tolli poterat. Quod quibus ratione quavis aut quacumque de caussa contingebat, ἀτιμοῦσθαι illi dicèbantur, verbo hac in re proprio ac forensi. Nam ἀτιμάζειν, poëtis item

(1) Hinc est quod ibid. p. 121. sq. Demosthenes hoc ipsum explicat, cur in inscriptione antiqua Athenis in arce posita, Arthmius ille Zelites, Asiae incola, qui Persarum aurum ad corrumpendos Graecos in Peloponnesum invexerat, eam ob caussam ipse cum posteris declaretur hostis Atheniensium sociorumque, et ἄτιμος. Non hac scilicet propria verbi vi, eum juribus civis Atheniensis destitui; id enim illius, Persarum Regis subditi, nihil omnino interfuisse: sed propterea ut ita eum impune occidi posse interfectoremque purum fore significaretur. Ἄτιμος ergo h. l. est ἀτιμώρητος: Wyttenbachius ad Plutarch. de S. N. V. p. 26; Ruhnkenius ad Timaeum p. 54. b. n. 88.

ἀτιμίᾳ, magis de ignominiis quibuslibet et contumeliis, a privato etiam illatis, ἀτιμοῦν semper apud Scriptores Atticos usurpatur de poena ejusmodi qua lex vel populus aliquem ex ἐπιτίμου faciat ἄτιμον. Discrimen notat Taylorus l. c.: cui addantur Lysias Or. X. p. 366. 2: Ammonius v. ἀτιμοῦται: Reiskius Ind. Demosth. v. ἀτιμοῦν: Idemque in Annot. ad Ruhnkenii Hist. Crit. Oratt. Gr. (Vol. VIII. p. 190. Oratt. Gr.), insignem Hyperidis de Lycurgo locum, apud Apsinem Art. Rhetor. p. 708, (in Annot. Ruhnkenii ad Rutilium Lupum p. 10, item Oratt. Gr. ibid. p. 188 pr. allatum), ubi vulgo legitur: τοῦτον ἡ πόλις ἡμῶν ἠτίμασεν, καὶ τοὺς παῖδας ἔδησεν αὐτοῦ; hunc igitur locum, ex ipso illo discrimine, recte sic corrigens, ut legamus ἠτίμωσεν. Quae poena quamvis non nisi ex sententia irrogari, itaque judex duntaxat proprie possit aliquem ἀτιμοῦν, attamen idem verbum, solenni in eo genere tralatione, nonnumquam apud Veteres adhibetur de illo qui reum in judicio ejusmodi persequitur, itaque, ut is ἄτιμος fiat, efficit. Veluti apud Isaeum Or. IV. p. 99, is, pro quo scripta est Oratio, ait sese potuisse Leocharem quemdam, ἐπειδὴ εἵλομεν ψευδομαρτυριῶν, ἀτιμῶσαι; »postquam falsi testimonii (in judicio) convicerimus, afficere infamia:" et apud eumdem Or. VII. p. 225. de Diocle refertur, qui sororis maritum, κατοικοδομήσας καὶ ἐπιβουλεύσας, »litibus irretiens ipsique insidias struens," ἠτίμωσε, »infamem reddidit." Poena illa ἀτιμίας quum autem saepe cum publicatione bonorum esset conjuncta; hinc non ipsi tantum homines dicebantur ἄτιμοι, sed idem quoque verbum subinde in tali caussa de re familiari et bonis alicujus usurpatur, eo sensu, haec non amplius ad pristinum dominum pertinere, verum ad aerarium publicum: cf. Demosthenes In Aristocrat. p. 640: In Mid. p. 551: Anonymus in Argum. Or. Demosth. In Leptin. p. 453.

Contra, bona quae non publicantur, quae salva manent domino, χρήματα ἐπίτιμα vocat Demosthenes In Aristocrat. p. 634. 13. Alii ergo erant ἄτιμοι καὶ αὐτοὶ καὶ τὰ χρήματα, alii duntaxat ἄτιμοι τὰ σώματα, *corporibus*, i. e. *personis*: quos Andocides p. 36, loco supra citato, prioribus illis opponit.

Sed de hoc usu vocis σώματος quaedam notanda. Igitur σῶμα, ut Latinum *corpus*, item *caput*, saepissime pro ipso *homine* usurpatur. Sic Dinarchus In Demosth. p. 30 meminit ἀνδρῶν ἀγαθῶν, ὧν ἐνίων ἔτι καὶ νῦν ζῇ τὰ σώματα; »virorum bonorum, quorum nonnullorum adhuc vivunt »corpora:" ad quem locum monet Wolfius, saepe a Graecis poni τὰ σώματα ἀντὶ ἀνθρώπων. Et scriptum est apud Xenophontem Hist. Gr. II. 1. § 12: τὰ δὲ ἐλεύθερα σώματα πάντα ἀφῆκε Λύσανδρος; »libera vero corpora omnia dimisit Lysander:" quo loco male Interpretes, item Morus in Ind., τὰ ἐλεύθερα σώματα vertunt *homines ingenuos*; siquidem simpliciter sunt *homines liberi*: veluti apud Demosthenem Adv. Phormion. p. 910. 13. eodem quoque sensu, pro hominibus *liberis*, dicuntur σώματα ἐλεύθερα. Αἰχμάλωτα σώματα, *homines bello capti*, memorantur ab eodem, Adv. Leptin. p. 480. 10. Et vero Polybius II. 6 § 6., de his ipsis hominibus bello captis loquens, disertius et singulatim recenset σώματα ἐλεύθερα et δουλικά, *liberos* et *servos*: idem tamen, I. 85 pr., distinguens sibique invicem opponens τοὺς αἰχμαλώτους, *homines bello captos*, et τὰ δουλικὰ τῶν σωμάτων, *servos*, i. e. ipsorum proprios: caeterum illos bello captos subinde simpliciter vocans σώματα, veluti I. 19 § 15: 29 § 7: 61 § 8. Conferantur porro Plutarchus in Amator. p. 770. E: Pseudo-Plutarchus Vit. X Oratt. p. 842. A.: Polybius V. 17 § 2. XXII. 22. § 9, (E. L. 34.): E. P. 139. Apud Plutarchum quidem, de Discrim. adulat. et amic. p. 70 C. περὶ βασιλείας καὶ τοῦ σώματος διακυβεύειν, hoc

loco igitur *σῶμα* magis dicitur *vita*. Paullo aliter Æschines In Ctesiph. p. 405. opponit *συλλήβδην ἅπαντας*, *omnes simul, universos*, et *ἑκάστους κατὰ σῶμα*, *unosquosque pro sua persona, singulos*. Magis etiam proprie pro *persona* est apud Andocidem de Myster. p. 52. 18: *ὁ ἀγὼν ἐν τῷ σώματι τῷ ἐμῷ καθέστηκεν*; »Certamen in mea persona substitit: Æschinem In Timarch. p. 43: *ὁ νομοθέτης οὔπω διαλέγεται αὐτῷ τῷ σώματι τοῦ παιδὸς, ἀλλὰ τοῖς περὶ τὸν παῖδα*; »Legislator nondum alloquitur ipsam perso»nam pueri, sed eos qui sunt cum puero:" p. 99: *ἕκαστος ἡμῶν ψῆφον δέδωκε περὶ τοῦ σώματος, ὅστις Ἀθηναῖος ὄντως ἐστὶ, καὶ ὅστις μή*. »Unusquisque nostrum suffragium dedit »de persona, quisnam sit vere Atheniensis, quis non sit:" quae loca miror a Reiskio in Indice Æschineo esse praetermissa; siquidem ipse apud eumdem Æschinem, ibid. p. 45., vulgatum *σώματι* ex hoc usu, quo pro *persona* usurpatur, adversus Wolfium, Jurinum, Taylorum, *στόματι* corrigentes, recte tuetur. Et simili ratione explicanda sunt loca Lysiae, Orat. II. p. 119: *ἐν τοῖς σώμασι τοῖς ἑαυτῶν κινδυνεύσαντες*, *in personis suis periclitantes*: (quod male tentat Taylorus ad h. l., reprehensus propterea a Reiskio:) Plutarchi de Sera Num. Vind. p. 551. A: tum quae supra ex Andocide p. 35 memoravimus, *ὧν τὰ σώματα ἄτιμα ἦν*, et *ἄτιμοι τὰ σώματα*. Eumdemque Andocidem videmus saepius ita *σῶμα* pro *persona* dixisse: veluti De Myster p 36., loco a nobis antea notato: Excusat. Redit. in patr. p. 84. pr., ubi *σώματα* et *χρήματα* memorantur sibique opponuntur: ibid. p. 80. 13., ubi scriptum est: *οὔτε τοῦ σώματος οὔτε τῶν ὄντων ἐμοὶ ἐφεισάμην*; »Neque personae neque bonis meis »peperci." Item dixit Isaeus Or. III. p. 84. fin. sq.: *ἴσως ἂν οὐ περὶ τῶν Νικοστράτου χρημάτων ἠμφισβήτει, ἀλλ' ὑπὲρ τοῦ σώματος ἠγωνίζετο*: »Fortasse profecto non de »Nicostrati bonis contenderet, sed de persona ipse sua

»certaret." Et vero Antiphon Apolog. p. 635., similiter, ut Andocides et Isaeus, ipse rei familiari opponens τὸ σῶμα, hoc simul explicite a civitate distinxit; ut hujus civitatis, πόλεως, privatione, exsilium, σώματος privatione, jurium civis Atheniensis omnium ademtionem, significasse videatur. Ἁλοὺς μὲν γὰρ τὴν γραφὴν, inquit, τῆς μὲν οὐσίας ᾔδειν ἐκστησόμενος, τῆς δὲ πόλεως καὶ τοῦ σώματος οὐκ ἐστερούμην: »Damnatus enim hoc judicio, re »quidem familiari sciebam me cessurum iri, civitate »autem et persona non privabar." Eademque ratione, de juribus civis Atheniensis legitimis, accipienda est, quam ex Demosthenis Scholiaste supra τῶν ἀτίμων apposuimus distributionem: οἱ μὲν τὸ τρίτον μέρος τοῦ σώματος ἠτιμοῦντο· οἱ δὲ τὰ δύο· οἱ δὲ ὁλόκληρον. De qua tamen distributione dubitari posset an re vera ita obtinuerit, nisi ipsius Demosthenis verbis confirmaretur, dictionem illam, καθάπαξ ἄτιμος, qua ibidem utitur, in Mid. p. 542. 24., non tantum et alio duplici loco adhibentis, ibid. p. 524. 22: In Aristogit. I. p. 779. 6: (quod supra, Cap. II. in fin. monuimus:) verum et in Oratione de Corona Trierarchica p. 1231. 21. diserte tradentis, τὸν εἰπόντα τι μὴ κατὰ τοὺς νόμους, ἐὰν ἁλῷ, τὸ τρίτον μέρος ἠτιμῶσθαι τοῦ σώματος· »dicentem quid non secundum leges, si »condemnetur, tertiam partem infamari corporis (1)." Quae partes τῆς ἀτιμίας cujusmodi fuerint, magis opportunus in sequentibus erit quaerendi locus. Illud quidem perspicuum est, eas jurium personalium duntaxat privatione censeri, non item, in hac tripartita divisione, rationem haberi bonorum, quum partes istae tantummodo ad personam, σῶμα, pertineant. Non ergo satis

(1) Wolfius ad h. l. (Crit. in Demosth. vol. II. p. 950.): »τὸ καθάπαξ ἠτιμῶσθαι in Midiana p. 542. 24 et alibi habuimus: ut videantur et Athenienses diminutionem capitis habuisse magnam, majorem et maximam, ut nostri Juris consulti."

accurate ad Andocidis illum locum Ulpiani verba accommodasse videtur Petitus.

Ex eo autem, quod *σῶμα* dicatur pro persona, hinc *περὶ τοῦ σώματος κινδυνεύειν*, *ἀγωνίζεσθαι*, apud Oratores universe quidem notat *de persona periclitari*, et caussae ejusmodi opponuntur caussis solummodo pecuniariis. Sed quum illud ipsum, de persona periclitari, varie fieri possit, igitur et varie *σῶμα* in ea dictione accipiendum. Veluti apud Æschinem In Ctesiph. p. 605.: *σὺ δ' οὔτε περὶ τῆς οὐσίας, οὔτε περὶ τοῦ σώματος, οὔτε περὶ τῆς ἐπιτιμίας ἀγωνίζῃ*: ibi *σῶμα* haud dubio intelligendum est *vita*, *spiritus*: » Tu vero neque de re familiari, neque de vita, neque de » jure civitatis contendis." Item *vita* significari videtur a Demosthene Adv. Timoth. p. 1188. 4; *ἐν ἀγῶνι τῷ μεγίστῳ καθεστηκὼς περὶ τοῦ σώματος*; » In maximo certa» mine constitutus de vita." Similiter Reiskius accipit apud. Lysiam Or. XXII. p. 725. 8., de quo loco tamen possit dubitari. Apud eumdem Lysiam Or. XXIII. p. 736. 9. *περὶ τοῦ σώματος ἀγωνίσασθαι* est *de statu contendere*, liber an servus sis. Cf. et Or. V. p. 185., et Æschines de Fals. Legat. p. 328. Quod vero Æschines ibidem subinde ait, sese *κινδυνεύειν περὶ τοῦ σώματος*, p. 193, p. 264: et Phocenses, p. 310: tum Athenienses, p. 334, rogat *τὴν σώματος σωτηρίαν*, hoc utrum de mortis periculo sit accipiendum, an vero tantum de amissione status civilis, juris civitatis, ex ipsa caussa non satis illud perspicuum est. Apud Isaeum quidem, de Hagniae Heredit. p. 289., *κινδυνεύειν περὶ τοῦ σώματος* certissime intelligendum de *ἀτιμίᾳ*. Et similiter quoque accipio locum Æschinis ibid. p. 307, ubi ad Demosthenem ait, hunc sibi quidem objicere, se legatum abiisse non legitimo modo electum, adhuc tamen istum non ausum falsae legationis nomine sese accusare: *οὐ γὰρ δὴ φθονεῖς γέ μοι τῶν εἰς τὸ σῶμα τιμημάτων*; *scilicet mihi non in-*

vides poenas in personam, i. e. ἀτιμίαν; haec enim poena erat accusatoris qui calumniari visus esset: ut suo loco animadvertemus. Unde mihi quidem probabilius videtur, item illis modo allatis ejusdem orationis locis non mortem, verum infamiam significari.

Sed age jam singula genera τῶν ἀτίμων deinceps spectemus, quae equidem deprehendisse existimem. Quos, quantum fieri possit, eo ordine recensebo, ut ab illis incipiam quorum gravissima erat ἀτιμία, itaque descendendo tandem perveniam ad eos quorum jura civilia paucissimis partibus erant laesa et imminuta.

CAPUT IV.

Στήλη. Periculum. στηλῖται. στηλιτεύεσθαι. λόγοι στηλιτευτικοί. Polemo ὁ στηλοκόπας.

Quandoquidem supra Cap. II. vidimus ex Andocide de Myster. p. 37. quosdam ἀτίμους fuisse exceptos a communi illa oblivionis et immunitatis lege, qua reliqui omnes jura sua ac pristinum in civitate statum recuperarunt; facile igitur apparet, priores illos, majori, quam caeteros, certe magis perpetua, et ut ita dicam, indelebili, notatos fuisse infamia. De his itaque primo loco exponamus: et nunc quidem de iis quorum nomina *pilis*, στήλαις, erant inscripta: tum de caedis damnatis; has enim duas exceptiones ab Andocide memoratas vidimus.

Στήλη universe est *columna, pila, cippus*: cujusmodi columnis lapideis, aereis, ligneisve, nemo ignorat, leges, foedera, omnia denique omnis generis monumenta apud Veteres inscripta fuisse: monente Tayloro Annot. ad Demosth. de Fals. Legat. p. 428 pr., Critic. in Demosth. Tom. I. p. 471. sqq. R., ubi multa loca adfert: quibus addi possint alia plura. Ex hisce nunc quidem citasse suffecerit Aristophanem Acharn. v. 727, unde patet, hujus generis columnis item inscriptas fuisse inducias: tum Xenophontem Anab. V. 3 § 13., ubi mentio fit στήλης cujusdam cum inscriptione in honorem Dianae. Verissime porro et eleganter Polybius XII. 11. § 9. me-

minit παραδοσίμου ϛήλης, *columnae qua memoria alicujus rei ad posteros traditur.*

Magis proprie ϛήλη vocabatur pila, ex aere seu ex lapide facta, formâ quadratá oblongâ, cui facinorosorum quorumdam nomina, item damnationis exempla, quo testatior rei memoria esset, incidi atque in publico poni solebant, quo modo definitur a Nonno (citato apud Taylorum d. l. p. 474.), et a Scholiaste Anonymo ad Gregorii Nazianzeni initium Steliteuticae Primae. Satis frequens, ut mox videbimus, harum columnarum usus fuit Athenis: nec tamen caeteris Graecis plane incognitus: ut vel ex uno constat celebratissimo Epaminondae Thebani facto, qui quum quatuor mensibus diutius, quam populus jusserat, imperium gessisset, postea domum redux, eoque crimine accusatus, » omnia confessus est: » neque recusavit, quo minus legis poenam subiret: sed » unum ab iis petivit, ut in periculo suo inscriberent. » *Epaminondas a Thebanis morte mulotatus est, quod eos* » *coëgit apud Leuctra superare Lacedaemonios, quos ante* » *se imperatorem nemo Boeotiorum ausus fuit adspicere* » *in acie: quodque uno proelio non solum Thebas ab* » *interitu retraxit, sed etiam universam Graeciam in li-* » *bertatem vindicavit, eoque res utrorumque perduxit,* » *ut Thebani Spartam oppugnarent, Lacedaemonii satis* » *haberent si salvi esse possent: neque prius bellare des-* » *titit, quam Messene constituta, urbem eorum obsidione* » *clausit.*" Rem his ipsis verbis refert Cornelius Nepos Epamin. c. 8. Quo loco Nepotis utrum *periculum* recte legatur, an vero, ut nonnulli viri docti existimant, emendatione sit opus; hac de re nos quidem nil statueremus, nisi in lectione vulgatâ esse acquiescendum, in qua omnes libri scripti praeterea consentiunt, probabilius item fieret ex Inscriptione Tituli Codicis Justinianei *De Sententiis ex periculo recitandis:* tum ex loco Ciceronis

Verr. III. 79: »Scribis tabulae publicae periculaque magis»trattuum committuntur:" quo utroque loco *periculum* similiter fere accipiendum videtur. Magis proprie hac in re dicatur *columella:* veluti ab eodem Cicerone Leg. II. 26: »Sepulcris novis finivit modum. nam super terrae »tumulum noluit quid statui, nisi columellam tribus »cubitis non altiorem." Apud Nepotem quidem l. c. στήλην significari, ex Plutarcho quoque perspicuum est, qui Apophthegm. p. 194. B. eadem narrans, Thebanos ab Epaminonda rogatos ait, si se damnarent, ut iis verbis, quibus ipse vellet, damnationem inscriberent pilae, τῇ στήλῃ. Cujus ipsius rei testis est Aelianus Var. Hist. XIII. 42, ubi conferri potest Perizonius. Et vix opus est ut moneamus, quippe quod cum ex locis allatis apparet, tum profecto satis aliunde notum est, Veteribus solenne fuisse ad sepulcra ponere στήλας, columellas, ejusmodi. Aliquando, sed rarius, στηλίδιον hac ipsâ in re Scriptores usurpant, veluti Theophrastus Charact. c. 21. § 3. Quod vero Joannes Tobias Krebsius in Commentatione de Stelitis Atheniensium (Opuscul. Academ. et Scholast. Lips. 1778. p. 43. sqq.) p. 55., »pecuniam," ait »proscriptum occidenti promissam, »quo facilius homines alliceret, in foro aut in templis »arae impositam esse, unde statim auferri possit: eamque »rem, non ubivis obviam, sese docuisse Aeneam Poliorcetam c. 10.:" in eo quidem errat Krebsius; etenim apud Aeneam d. l., p. 411. sq. ed. Ernest, non exstat Atheniensium lex, sed tantummodo praeceptum quod Auctor futuro imperatori suppeditat.

Caeterum illi, quorum nomina ignominiae caussâ στήλαις erant inscripta, ipsi quoque vocabantur στηλῖται; veluti apud Demosthenem Philipp. III. p. 122. 23. Item verbum στηλιτεύεσθαι, posterioribus certe Scriptoribus, hac in re usurpatum fuit: et λόγοι στηλιτευτικοὶ dictae

sunt orationes adversus aliquem, in alicujus vituperium scriptae, vulgo *invectivas* aiunt: quales hodieque Gregorii Nazianzeni duae supersunt adversus Julianum: quarum alterius epilogum, p. 112. ed. Etonensis, quia rem illustrat, Taylori exemplo, adscribamus: "Αυτη σοι παρ' ἡμῶν ϛήλη τῶν Ἡρακλείων ϛηλῶν ὑψηλοτέρα τε καὶ περιφανεϛέρα· — ἥν καὶ ὁ μέλλων ὑπολήψεται χρόνος, εὖ οἶδα, σέ τε καὶ τὰ σὰ ϛηλιτεύουσαν, καὶ τοὺς λοιποὺς πάντας παιδεύουσαν, μή τινα τοιαύτην κατὰ Θεοῦ τολμᾷν ἐπανάϛασιν, ἵνα μὴ τὰ ὅμοια δράσαντες, τῶν ἴσων καὶ ἀντιτύχωσιν. »Haec tibi a nobis columna Herculeis colum»nis excelsior et illustrior: — quam et futurum susci»piet tempus, bene novi, te ipsum tuaque ignominiâ »afficientem, et reliquos omnes monentem, nunquam »ejusmodi adversus Deum aggredi rebellionem, ut ne »similia facientes, easdem luant poenas." Et vero Polemo Grammaticus, quod Scriptorum censuram agens, Eratostheni aliisque notam adspersisset, hinc solenni cognomine dictus est ϛηλοκόπας; qua de re conferendus est Athenaeus VI. p. 234. D: qui rem simpliciter narrat, rationes non addit: de quibus docte, ut solet, nec tamen, meo quidem judicio, satis accurate disputat Casaubonus ad d. l. p. 408. sq. Me certe meae sententiae non poenitet: de qua videndus item est Krebsius d. l. p. 59. virique docti ibidem citati.

De ϛήλη porro conferantur loca quae adduxit Taylorus l. c. p. 472 sq.: addantur Suidas v. ϛήλη ibique Kusterus; Pollux VIII. s. 73.

Jam de singulis ϛηλιτῶν generibus singillatim videamus.

CAPUT V.

Proditio. Populiscitum de Archeptolemo et Antiphonte. Accusati vincti judicio tradendi. Poena. Suffragium duplex Athenis. Capitis supplicium cujusmodi. Bona publicata. Aedes diruendae. Extra Atticam sepeliundi. Crimen quatenus extensum.

Ecquis mirabitur, initium hoc loco fieri a proditoribus ac rei publicae eversoribus? Quandoquidem, ut Ciceronis verbis utamur, » omnium societatum nulla est gravior, » nulla carior, quam ea quae cum republica est uni- » cuique nostrum, omnesque omnium caritates patria » una complexa est:" quidnam scelus esse potest detestabilius scelere eorum, qui hanc quasi communem matrem dilacerent atque prosternant? Quodsi hac in re, ut in aliis multis, temporum insignis est efficacia, ita ut civitatis illud vinculum aliquando arctius contrahatur ac firmetur, aliquando magis solvatur ac relaxetur; quis tandem negabit, veterum Graecorum vehementissimum, atque adeo, si eos cum nostris hominibus conferamus, incredibilem exstitisse in patriam amorem? Cujus discriminis caussas aperire non est hujus loci: illud perspicuum est, quanto graviora vulgo et sanctiora habeantur erga patriam officia, quantoque fortius eo sensu imbuti sint omnium animi, tanto magis taetram et immanem necessario censeri istorum pravitatem, qui vel odio, vel metu, vel avaritia, vel denique ambitione

incensi et regnandi cupiditate, communem civium caussam prodant ac perdant. Itaque et reliqui Graeci in proditores ac tyrannos severissime animadverterunt: et ex Graecorum numero Athenienses, fortissimi quippe patriaeque amantissimi, homines istos capitali odio atque exsecratione persecuti sunt.

Exstat hodieque in libro de vitis X Oratorum qui vulgo Plutarchi nomine fertur, populiscitum Atheniensium de Archeptolemo et Antiphonte proditionis accusatis et damnatis: quod siquidem fere summam continet eorum quae adversus proditores Athenis sancita sunt, illud hoc loco integrum referamus, tum ex aliis Veterum locis argumentum illustremus ac suppleamus. Notandum est, viros eos e numero Quadringentorum fuisse, qui bello Peloponnesio, Olympiade XCII. anno 1° et 2°, Alcibiade exsulante, rerum summam per aliquot menses tenuerunt, et quorum constituendorum suasor et auctor, quamvis occultus, princeps tamen exstitit Antiphon. Hic quidem cum Archeptolemo, Phrynicho, aliis, quum animadverterent se haud facile diutius imperium retinere posse, quod populus, magis magisque abalienatus ab eorum factione, amicis Alcibiadis potissimum adhortantibus, jam democratiam restituere et Alcibiadem revocare velle videretur: igitur illi, optimatium fere duces, ad ipsos patriae hostes Lacedaemonios profecti sunt, ut horum auxilio deprimerent inimicos, civitatemque in suâ retinerent potestate. Qui conatus quum frustra fuisset, mox, a legatione redux, insidiis petitur et interficitur Phrynichus, adversarius Alcibiadis unus omnium acerrimus (1).

(1) Phrynichus ille fuit unus e Quadringentis. De ipso ejusque caede conferri potest Taylorus in Lysiae vita, Oratt. Gr. Vol. VI. p. 117 sqq. Et de hac quidem caede constat: de ratione et auctoribus dissentiunt Veteres. In omnibus caeterum Phrynichus negotiis vir habitus est minime imprudens, οὐκ ἀξύνετος: Thucydi-

Et id quidem totius rerum conversionis initium fuit. Nam quum antea exercitus qui ad Samum erat, a Quadringentorum partibus palam defecisset, jam nunc vero plebs quoque urbana, audacissimo illo facinore excitata, percussores admirari ac laudare: multique adeo ex ipsis Quadringentis, principe Theramene, ubi rem inclinatam viderent, sese plebis studiosissimos professi sunt, collegasque et abdicarunt, et acerbissime vexarunt. Primum itaque Antiphon caeterique legationis illius ad Spartanos socii in Senatu accusantur, caussaque ad populum dicta damnantur. Hoc est quod ipsis hujus decreti verbis e Caecilio refert Pseudo-Plutarchus Vit. X. Oratt. p. 833. E—834. B.

Ἔδοξε τῇ βουλῇ μιᾷ καὶ εἰκοστῇ τῆς πρυτανείας (1). *Δημόνικος Ἀλωπεκῆθεν ἐγραμμάτευε, Φιλόστρατος Πελληνεὺς ἐπεστάτει* (2). *Ἄνδρων εἶπε περὶ τῶν ἀνδρῶν, οὓς ἀποφαίνουσιν οἱ στρατηγοὶ πρεσβευομένους εἰς Λακεδαίμονα ἐπὶ κακῷ τῆς πόλεως τῆς Ἀθηναίων, καὶ ἐκ τοῦ στρατοπέδου πλεῖν ἐπὶ πολεμίας νεώς· καὶ πεζεῦσαι διὰ Δεκελείας, Ἀρχεπτόλεμον καὶ Ὀνομακλέα καὶ Ἀντιφῶντα, συλλαβεῖν καὶ ἀποδοῦναι εἰς τὸ δικαστήριον, ὅπως δῶσι δίκην. παρασχόντων δ' αὐτοὺς οἱ στρατηγοὶ, καὶ ἐκ τῆς βουλῆς οὕς τινας ἂν δοκῇ τοῖς*

des VIII. 27. Alios Phrynichos recenset Sluiterus Lect. Andoc. p. 117. sqq.

(1) An h. l. excidit *πρώτης*, ut sit, *die vigesimo primo primae Prytaneae*, aut excidit nomen ipsum Prytaneae? An simpliciter ita est positum, quod intelligitur Prytanea qua praefuit Tribus Pallenensis? Certe ipsum decretum initio non satis integrum videtur Wyttenbachio ad h. l.

(2) Levissimâ mutatione legendum est *ἐπεστάτει*. Hoc enim sensus postulat, et in ejusmodi decreti initio usurpari solet: veluti apud Andocidem Myst. p. 47., quod ipsum decretum indidem postea afferemus Cap. VIII. Tum pro *Πελληνεὺς*, ex marmoribus legendum esse *Παλληνεὺς*, docet Taylorus in Lysiae Vita p. 120. ed. R.: qua de re conferri potest Corsinus Fast. Att. Vol. I. p. 241. Utramque emendationem et probat Wyttenbachius.

ϛρατηγοῖς, προσελομένους (1) μέχρι δέκα, ὅπως ἂν περὶ παρόντων γένηται ἡ κρίσις. προσκαλεσάσθωσαν δ' αὐτοὺς οἱ Θεσμοθέται ἐν τῇ αὔριον ἡμέρᾳ, καὶ εἰσαγόντων, ἐπειδὰν αἱ κλήσεις ἐξήκωσιν, εἰς τὸ δικαϛήριον, περὶ προδοσίας· κατηγορεῖν τοὺς εἰρημένους (2) συνηγόρους καὶ τοὺς ϛρατηγοὺς, καὶ ἄλλος (3) ἄν τις βούληται. ὅτου δ' ἂν καταψηφίσηται τὸ δικαϛήριον, περὶ αὐτοῦ ποιεῖν κατὰ τὸν νόμον ὃς κεῖται περὶ τῶν προδόντων. τοῦτο (4) ὑπογέγραπται τῷ δόγματι ἡ καταδίκη. Προδοσίας (5) ὤφελον 'Αρχεπτόλεμος Ἱπποδάμου Ἀγρύληθεν παρὼν, Ἀντιφῶν Σωφίλου 'Ραμνούσιος παρών. τούτοιν ἐτιμήθη τοῖς ἕνδεκα παραδοθῆναι, καὶ τὰ χρήματα δημόσια εἶναι, καὶ τῆς Θεοῦ τὸ ἐπιδέκατον, καὶ τὰς οἰκίας κατασκάψαι αὐτῶν, καὶ ὅρους θεῖναι τοῖν οἰκοπίδοιν, (6) ἐπιγράψαντας, 'Αρχεπτολέμου καὶ Ἀντιφῶντος τοῖν προδοταῖν. τῷ δὲ δημάρχῳ ἀποφῆναί τε οἰκίαν ἐς τὸν (7), καὶ μὴ ἐξεῖναι θάψαι 'Αρχεπτόλεμον καὶ Ἀντιφῶντα Ἀθήνησι, μηδ' ὅσης Ἀθηναῖοι κρατοῦσι. καὶ ἄτιμον εἶναι 'Αρχεπτόλεμον καὶ Ἀντιφῶντα, καὶ γένος τὸ ἐκ τούτοιν, καὶ νόθους καὶ γνησίους.

(1) Melius videtur προσελομένοις. Et ita correxerunt Reiskius et Wyttenbachius.

(2) Taylorus legit ῥηθέντας ἠρημένους.

(3) Wyttenbachius non dubitavit recipere ἄλλους. Et profecto, ita sensus necessario postulat.

(4) H. l. τούτῳ legendum esse, tum novam periodum incipiendam, et ipse dudum suspicatus sum, et ita recepit Wyttenbachius. Paullo ante, pro προδόντων, forte legendum sit προδοτῶν.

(5) Et hoc verbum cum Wyttenbachio ponendum est initio novae periodus, tum pro ὤφελον cum ipso legendum est ὦφλον.

(6) Legendum videtur οἰκοπέδοιν, quo modo et recepit Wyttenbachius.

(7) Wyttenbachius ad h. l. observat, verba ἐς τὸν deesse in uno codice scripto, eorumque loco lacunam esse; unde suspicatur tale quid excidisse, atque ita legendum: ἀποφῆναι μὴ οἰκεῖν ἔτι τὸν τόπον, καὶ μὴ ἐξεῖναι κ. τ. λ. » Demarcho autem deferre, *neque* » *habitare amplius hunc locum*, neque permitti cet.

καὶ ἐὰν ποιήσηταί τινα τῶν ἐξ Ἀρχεπτολέμου καὶ Ἀντιφῶντος, ἄτιμος ἔστω ὁ ποιησάμενος. (1) ταῦτα δὲ γράψαι ἐν στήλῃ χαλκῇ, ἧπερ ἂν (2) καὶ τὰ ψηφίσματα τὰ περὶ Φρυνίχου, καὶ τούτου (3) θέσθαι.

»Die vicesimo primo Prytaneae placuit Senatui: De»monicus Alopecensis scribae munus obiit: praefuit cog»nitioni Philostratus Pellenensis: retulit Andron; viros, »qui a praetoribus pronunciantur legati ivisse Spartam »incommodo reipublicae Atheniensis, et e castris navi»gasse vecti hostili nave, ac per Deceleam terra ivisse, »Archeptolemum, Onomaclem, et Antiphontem, com»prehendendos esse, et in curia sistendos, ut caussam »dicant. Sistant eos Strategi, et alii e Senatu usque ad »decem, quos videbitur Strategis adsciscere, ut de prae»sentibus fiat judicium. Advocent eos Thesmothetae ad »crastinam diem, inducantque: quando in judicium ad»ducti aderunt, tum actores, Strategi, eorumque patro»cinium sustinentes, ac si quis alius voluerit, reos prodi»tionis accusent: qui in judicio damnatus fuerit, in eum »animadvertendum e praescripto legis in proditores latae."

»Huic decreto subscriptum est."

»Damnati sunt proditionis Archeptolemus Hippodami »filius Agryglensis, praesens: Antiphon Sophili fiilius »Rhamnusius, praesens. Iis haec poena constituta est, »ut Undecimviris dedantur, bona eorum publicentur, »decima portione Minervae consecratâ: atque eorum aedes »solo aequentur, et areis termini ponantur cum hac »inscriptione, *Archeptolemi et Antiphontis proditorum.*

(1) Hoc eo pertinet, ne sic damnatorum posteri, in aliás familias adoptati, paternâ ignominiâ liberarentur.

(2) Sensus postulare videtur ἐν ᾗπερ, et ita conjicit Wyttenbachius legendum esse pro ᾗπερ ἄν.

(3) Legendum videtur τοῦτο, um Tayloro, Reiskio, Wyttenbachio.

» Demarcho autem deferre domum * neque permitti, ut » Archeptolemus et Antiphon Athenis aut in terra Athe- » niensium imperio subdita sepeliantur. Porro cum ipsos » infames haberi oportere, tum qui ex iis sive spurii » sive legitimi nascantur, infamem etiam eum qui ex » istorum progenie aliquem adoptaverit. Haec inscri- » benda esse columnae aeneae, eamque ibi ponendam, » ubi ea sita est quae decreta de Phrynicho continet."

Quod Senatus Archeptolemum, Onomaclem, Antiphontem, sibi a Strategis delatos, vinciri jussit, vinctosque judicio tradi; hoc loco monendum est, universe quidem civium Atheniensium neminem indicta caussa in carcerem abripi potuisse, modo vades idoneos daret: itaque in Senatorum jurejurando et hoc a Solone positum fuisse, ne quemquam vinculis mandarent, *nisi si quis ad civitatem prodendam vel statum popularem evertendum coire deprehenderetur, aut si publicae rei redemtor, vel praes, vel portitor, non solvisset*, *πλὴν ἐάν τις ἐπὶ προδοσίᾳ τῆς πόλεως ἢ ἐπὶ καταλύσει τοῦ δήμου συνιὼν ἁλῷ, ἢ τέλος τι πριάμενος, ἢ ἐγγυησάμενος, ἢ ἐκλέγων μὴ καταβάλλῃ.* Jurisjurandi haec formula exstat apud Demosthenem in Timocrat. p. 745 sq. Caeterum in iis caussis, quae quidem exceptione illâ non continerentur, quae tamen ipsae magnae essent et capitales, subinde vades, dati a reis, hos in custodiâ vinculisque ipsi tenebant: cujus rei exemplum est apud Xenophontem Hist. Gr. I. 7. fin.

Jam de poena videndum. Vix opus est ut moneamus, verbis illis, *τοῖς ἕνδεκα παραδοθῆναι*, hoc loco, ut alibi saepissime, mortis poenam significari: quod vel ex iis quae proxime sequuntur, manifestum est: porro omnium Scriptorum confirmatur auctoritate: quorum unum Thucydidem excitasse suffecerit, VIII. 90. sqq., qui quamvis reliquas poenas non memoravit, pietate motus, ut videtur, erga magistrum Antiphontem optime de se

meritum (1), hunc tamen capitali supplicio affectum esse ostendit, eumque testatur omnium suâ memoriâ longe optime caussam pro capite ipsum dixisse. Etenim haec poena solennis erat proditorum; unde Lycurgus, in Oratione in Leocratem proditionis reum, saepius ipsi mortem irrogari jubet, atque in eam rem Hipparchi proditoris, capitis damnati, adfert exemplum. Sed quid plura? quum certum sit, ut mox videbimus, Atheniensium legibus proditores sepulturâ quoque, in patria quidem terra, fuisse privatos. Multis nihilo minus proditionis reis pecuniâ litem aestimatam esse constat: veluti ex Demosthene In Timocrat. p. 740. 14: Adv. Theocrin. fin. p. 1344: Cornelio Nepote Miltiad. 7: Cim. 1: Timoth. 3. At vero, ne quis ideo existimet, insigne hoc discrimen ex eo repetendum esse, quasi leges Athenis fuerint repugnantes sibique invicem plane contrariae: neve putet, lege quidem certam in proditores poenam statutam, hanc autem legem in judiciis adeo non fuisse servatam, ut, nullâ juris patrii habitâ ratione, pro suâ duntaxat libidine populus eadem delicta vel acerbissimo supplicio puniret, vel lenissimâ animadversione castigaret. Quam quidem plebis levitatem et inconstantiam in tribunalibus magnis ac popularibus, cujusmodi fuerunt Athenis, fatendum est haud parum valere. Sed hoc vitium quum proprium sit et quasi congenitum populari civitatis statui: tum nullam equidem novi gentem, licet optimis legibus instructam, cujus in historia non animadvertamus, fidem illam et judicandi integritatem, quae cernatur in reliquis caussis, eamdem haud raro

(1) Illam erga magistrum pietatem Thucydidi caussam fuisse silentii, postea vidi, jam conjecisse Marcellinum in Vita Thucydidis p. 4., eamque opinionem probabilem esse visam Spaanio, in Dissertatione de Antiphonte, p. 818. Vol. VII. Oratt. Gr. R. Quo magis sane huic conjecturae nunc tribuo.

negligi et adeo violari solere in iis, ubi rerum summa ipsique imperantés in discrimine versari videantur. Quales in democratia caussas multas in primis magnasque exsistere necesse est. Verum, (ut jam eo, unde digressi sumus, redeamus,) quod subinde proditores reperimus tantummodo pecuniâ mulctatos, illud non gratiâ reorum ita potissimum obtinuisse credamus, sed hoc fere modo est intelligendum. Poenae quidem legitimae hujus criminis erant eae, quas adversus Antiphontem statutas vidimus, et de quibus porro singillatim exponemus. Atqui, ut universe facillimum est definire, quando, verbi gratiâ, furtum sit factum: idemque in plurimis delictis obtinet; ita longe secus est, cum in aliis nonnullis criminibus, tum in proditione; ut omnino fieri non potuerit, quin multi Athenis quoque in judicium eo nomine vocati sint, qui, caussa cognita, non quidem illi culpa prorsus vacasse viderentur, nec tamen patriam prodidisse. Quo loco item animadvertendum est, Solonis leges, ut Veterum plerasque, breves admodum paucisque verbis fuisse conscriptas, itaque eum et poenas in proditorem statuisse, non vero definivisse quibusnam factis censendum esset crimen proditionis; unde multo etiam magis intelligitur, ratio illa, de qua dicebam, quantam vim habuerit. Jam quum suffragia bis ferri solerent; ut primum judices reum, caussa dicta, vel absolverent vel damnarent: tum, si quidem esset damnatus, de poena statuerent (1); igitur omnes,

(1) Luculentum hujus rei testem habemus Ciceronem, cujus quidem verba, quia rem in primis illustrant, facere non possumus quin hoc loco integra apponamus. Is igitur, Orat. I. 54, de Socrate sic ait. »Ergo ille quoque damnatus est, neque solum »primis sententiis, quibus tantum statuebant judices, damna»rent, an absolverent, sed etiam illis, quas iterum legibus ferre »debebant. Erat enim Athenis, reo damnato, [si fraus capitalis »non esset,] quasi poenae aestimatio. Ex sententia, cum judi-

quicumque proditionis essent accusati, nisi crimen ac suspicionem adeo testimoniis aliorum vel sua ipsi oratione penitus diluissent culpaque omni carere judicati essent, nisi hoc modo, inquam, plane absolverentur, primis quidem illi suffragiis cadebant, ac dicebantur proditionis damnati: verum postea, quando agebatur de lite aestimanda, tum legis poena in eos tantum statui solebat qui lege teneri viderentur: reliquis extra ordinem, et maxime quidem pecuniâ mulctatis. Unde apud Nepotem Miltiad. 7. ita scriptum est de Miltiade: »Accusatus »proditionis, —— caussa cognita, capitis absolutus, »pecuniâ mulctatus est. Eaque lis quinquaginta talentis »aestimata est, quantus in classem sumtus factus erat." Et similiter accipiendum est de Timotheo, item de iis, qui a Demosthene, locis supra citatis, memorantur. Quodsi quis nihilo minus Athenienses graviter reprehendat, qui viros tantos, Miltiadem inquam et Timotheum, (nam et Timotheus centum talentis damnatus est,) belli pacisque artibus excellentes, optimeque de patria meritos, tali mulctarunt pecunia quae ipsorum facultates longe superaret, itaque non verbis quidem, re tamen,

»cibus daretur, interrogabatur reus, quam quasi aestimatio»nem commeruisse se maxime confiteretur. Quod quum inter»rogatus Socrates esset, respondit, sese meruisse, ut amplissi»mis honoribus et proemiis decoraretur, et ei victus quotidianus »in Prytaneo publice praeberetur; qui honos apud Graecos maxi»mus haberetur." Res ipsa, de duplici suffragio, cum aliunde constat, tum ex Demosthene De Fals. Leg. p. 434, In Timocrat. p. 743. 20. In Neaer. p. 1347. sq.: Aeschine In Ctesiph. p. 587. sq. Verba Ciceronis, *si fraus capitalis non esset*, quae uncis inclusi, certissime sunt corrupta. Etenim non solum plures alii Scriptores produnt, poenae aestimationem fuisse etiamsi fraus esset capitalis; ut Ciceronis dissensus, quamvis singularis adeoque mirus, quadam tamen ratione ferri atque defendi possit: sed ipsum hoc exemplum Socratis, a Cicerone allatum, ad fraudem capitalem utique pertinebat.

perpetuo carcere eos puniverunt; equidem non admodum repugnabo: Nepoti certe assentiar, qui, Timoth. 3., de hac ipsa re loquens, Atheniensium populum ait fuisse » acrem, suspicacem, mobilem, adversarium, invidum » etiam potentiae." Cui judicio haud admodum dissimile est judicium Aristophanis Equit. v. 40: in primis vero nobilissimi illius, quem primo omnium loco nominare debuissem, Platonis, cum alibi subinde, tum praesertim in Gorgiâ, qui quidem Dialogus magnam partem hoc ipso in argumento versatur. Sed profecto negari non potest, hoc item fere proprium esse populari civitatis rationi: quae ut crescenti laudi in omni genere maxime favet praemiaque eidem proponit longe omnium excellentissima, sic gloriâ rerum gestarum vel ingeniorum vix quemquam frui sinit.

Et vero, quae ad hoc poenarum discrimen explicandum pertinent, aliquanto fusius disputavi, propterea, quod eadem observatio in multis aliis caussarum generibus valet: siquidem saepissime in Atheniensium rebus reperimus, alicujus criminis damnatos non legitimâ poenâ, verum alia leviori, fuisse mulctatos. Aliquando etiam gravius punitos legimus: hanc quidem ob caussam, quod actione jam instituta, reus aliis praeterea modis actorem laesisset quarum vexationum ratio omnino habebatur in lite aestimanda, ut non necesse esset novum ea de re judicium haberi. Exemplum est apud Demosthenem Adv. Nicostrat. p. 1252.

Capitis autem damnatos nullis exquisitis suppliciis ab Atheniensibus cruciari solitos esse, eorumque humanitatem omnes propemodum mortis poenas respuisse praeter unum cicutae potum, τὸ κώνειον; cujusmodi venenum, remotis fere arbitris, nec nisi coram uno vel altero ministro publico, in carcere sumebatur: res notior est, quam ut eam hoc loco testimoniis confirmem. Satis erit verbo

notasse, ne in hoc quidem gravissimo proditionis crimine supplicium atrocius fuisse statutum.

Sequitur in damnatione, *τὰ χρήματα δημόσια εἶναι*, *bona publica esse, publicari.* Eamdem poenam ex lege de proditoribus lata diserte quoque refert Euryptolemus apud Xenophontem Hist. Gr. I. 7 § 10 p. 47. ed. Mori. *Νόμος — ἐςὶν ἐπὶ τοῖς ἱεροσύλοις καὶ προδόταις, ἐάν τις ἢ τὴν πόλιν προδιδῷ, ἢ τὰ ἱερὰ κλέπτῃ, κατακριθέντα ἐν δικαςηρίῳ, μὴ ταφῆναι ἐν τῇ Ἀττικῇ, τὰ δὲ χρήματα αὐτοῦ δημόσια εἶναι.* »Lex —— est de sacrilegis et proditori»bus, si quis vel urbem prodat, vel sacra furetur, (eum) »damnatum in judicio, non sepeliendum esse in Attica, »bona vero ejus publica esse." Neque hic praetermittendum est quod ait Lysias Orat. XXX. p. 861: *ὅτι ἡ βουλὴ ἡ βουλεύουσα* (1), *ὅταν μὲν ἔχῃ ἱκανὰ χρήματα εἰς*

(1) Initio hujus Lysiae loci excidit particula *ἀεὶ*; nam certissime est legendum, *ἡ βυλὴ ἡ ἀεὶ βυλεύυσα*, *Senatus qui quoque tempore est*, i. e. Senatus Quingentorum: quod Editores fugisse miror; nam res in promtu est. Postea vidi, Sluiterum quoque, Lect. Andoc. p. 276., ita locum emendasse, exemplisque eam loquendi formam solennem confirmasse. Simili praeterea ratione *οἱ δικάζοντες ἀεὶ* memorantur a Demosthene In Mid. p. 572. 6: et *ὁ ἀεὶ δικάζειν λαχὼν*, in Aristogit. I. p. 773. pr. Idemque De Fals. Legat. p. 374. 13: *Ἀλλ' ἅπαντες Ἀθηναῖοι πρότερον κατηγορῦσι Φιλίππυ, καὶ ὁ τυχὼν ἀεί.* Cf. et Idem in Philipp. IV. p. 144. 16: In Aristogit. I. p. 771. 25: Plutarchus in Agesil. p. 598. A.: in Arat. p. 1032. A.: De fraterno Amore p. 482. D. — Et hoc est quod verius quam elegantius observat Augerius Ind. Gr. ad Isocratem v. *ἀεὶ*, »hanc vocem saepius apud Graecos sig»nificare non perpetuitatem rei in omnibus temporis instantibus, »sed perpetuitatem rei quoties eaedem recurrunt occasiones:" idque apposite illustrat exemplo Isocratis Panegyr. T. I. p. 194., eodem sensu, quo locis illis ante allatis Lysias, Demosthenes, Plutarchus, verbum *ἀεὶ* usurpantis, Athenarumque civitatem celebrantis, *τοῖς ἀδικυμένοις ἀεὶ τῶν Ἑλλήνων ἐπαμύνυσαν.* Cf. et Plato Protag. p. 313. D.: Stobaeus Serm. XLI. p. 242: quem locum postea

διοίκησιν, οὐδὲν ἐξαμαρτάνει· ὅταν δὲ εἰς ἀπορίαν καταστῇ, ἀναγκάζεται εἰσαγγελίας δέχεσθαι, καὶ δημεύειν τὰ τῶν πολιτῶν, καὶ τῶν ῥητόρων τοῖς πονηρότατα λέγουσι πείθεσθαι. »Senatum Quingentorum, quando satis quidem pecu»niarum habeat ad rempublicam gerendam, nihil injuste »facere solere quando vero in angustiis versetur, accusa»tiones (*εἰσαγγελίας*) admittere cogi, et civium bona pu»blicare, oratorumque iniquissima dicentibus parere." Quae profecto non facile apud judices dixisset Lysias, nisi nimium vera fuissent. Et sane, quantum hac in re ab Atheniensibus peccatum sit, hodieque apparet ex multis Veterum locis.

spectabimus. — Caeterum Senatus Quingentorum aliquando dicitur *ἡ βουλὴ τῶν πεντακοσίων*, veluti a Demosthene De Fals. Leg. p. 397. 16: vel *ἡ βουλὴ οἱ πεντακόσιοι*, ab Aeschine in Ctesiph. p. 383 et p. 412: Lycurgo in Leocrat. p. 164. 6.: aliquando item *ἡ βουλὴ ἀπὸ τοῦ κυάμου*, veluti a Thucydide VIII. 66. Quodsi nude ac simpliciter memoretur *ἡ βουλή*, e sensu quidem cujusque loci determinandum est, utrum Senatus Quingentorum, an vero Areopagus significetur. Sic apud Isaeum Or. III. p. 84., cum Reiskio in Nota ad h. l. et in Indice, intelligendus est Senatus Areopagiticus. Quum vero Areopagus, post Periclem quidem, *βουλῆς*, Senatus, non fere nisi appellationem retinuerit; hinc multo frequentius ipsum *Areopagi* nomen additur, dicique solet *ἡ ἐν ἀρείῳ πάγῳ* (s. *ἐξ ἀρείου πάγου*) *βουλή*: nudâ *βουλῆς* appellatione significari fere solet Senatus Quingentorum: veluti apud Pseudo-Plutarchum initio loci hoc ipso Capite adducti p. 30 alibique saepissime: nonnumquam restrictius, quinquaginta virorum in Prytanea quaque praesidentium: ut recte animadvertit Reiskius Ind. Demosth. in v. Eodemque sensu, de Senatu Quingentorum, intelligenda est illa juris regula, ex legibus Atheniensium descripta et relata ab Andocide De Myster. p. 42. 5., *ψήφισμα μηδὲν μήτε βουλῆς, μήτε δήμου, νόμου κυριώτερον εἶναι*: »decretum nullum »neque Senatus, neque populi, lege potius esse." Doctam nuperrime elegantemque de ipsius historia et officiis Disputationem edidit proque gradu doctoratus L. B. mense Juneo 1834 defendit C. van Osenbruggen: De Senatu Atheniensium.

Porro scriptum est, *decimam bonorum publicatorum esse Deae sacram: τῆς Θεοῦ τὸ ἐπιδέκατον εἶναι. Deae* nomine significatur Minerva: (ut supra Cap. II. p. 11 not., hoc item loco adducto, monuimus): cui patrio numini fere solebat decima consecrari pecuniarum omnium quae in aerarium Atheniensium publicum conferrentur.

Quod autem adversus Archeptolemum et Antiphontem statutum dicitur, *τὰς οἰκίας κατασκάψαι αὐτῶν, καὶ ὅρους θεῖναι τοῖν οἰκοπέδοιν, ἐπιγράψαντας, Ἀρχεπτολέμου καὶ Ἀντιφῶντος τοῖν προδόταιν, domus eorum esse diruendas, columnasque areis imponendas, inscriptas,* ARCHEPTOLEMI ET ANTIPHONTIS PRODITORUM: hoc utrum ipsâ proditionis lege cautum fuerit nec ne, equidem non statuo. Nam a recentiore quidem scriptore, (2) caeterum haud contemnendo, proditur, multas Athenis domos in ruinis jacuisse, eversas ex decreto populi adversus proditores: ibique citatur Xenophontis liber De Vectigalibus. Atqui apud Xenophontem d. l., id est II. 6., nil aliud quam: *Πολλὰ οἰκιῶν ἔρημά ἐστιν ἐντὸς τῶν τειχῶν καὶ οἰκόπεδα:* »Multa domibus vacua sunt intra muros et areae." Nec vero mihi alius in Veterum scriptis locus innotuit, ubi proditorum domus ex legibus Atheniensium evertendae esse dicantur. Lacedaemoniorum quidem Regem Leotychidem, quum adversus Thessalos exercitum duxisset ab iisque pecunia esset corruptus, hinc Spartae proditionis damnatum atque in exsilium ejectum esse, domum item ejus a civibus dirutam, narrat Herodotus VI. 72. Et subinde in historia, cum veteri, tum recentiore, exempla nobis occurrunt, in alicujus odium et contumeliam aedes ejus fuisse solo aequatas: ut de Cicerone satis omnes novimus. Athenis quoque a Pisistratidis tyrannis, Alcmaeonidarum, adversae factionis prin-

(2) M. De Pauw, Recherches Philosophiques sur les Grecs, Tom. I. p. 47.

cipum, domus eversas esse, sepulcraque effossa, legimus apud Isocratem De Bigis p. 351. E.

Illud profecto animadversione haud fere indigere videtur, *ὅρους* hoc Pseudo-Plutarchi loco vocari eas ipsas *ϛήλας*, columnas, pilas, quibus damnatorum quorumdam nomina criminaque inscribi et in publico poni solere modo superiori capite animadvertimus. Et sane utraque vox universe columnam, palum, significat. Proprie tamen apud Atticos *ὅροι* dicebantur alius generis: ut infra videbimus, Cap. XXXVIII.

Sequitur: *καὶ μὴ ἐξεῖναι θάψαι Ἀρχεπτόλεμον καὶ Ἀντιφῶντα Ἀθήνησι, μηδ' ὅσης Ἀθηναῖοι κρατοῦσι*: » neque » licere sepeliri Archeptolemum et Antiphontem Athenis, » nec ubicumque Athenienses imperent." Hoc Athenis adversus proditores cautum fuisse, item prodit Xenophon Hist. Gr. I. 7 § 10 p. 47 Mori, cujus verba ante apposuimus. Idque non ita intelligendum est, quasi caeterum apud Athenienses fierent sepulturae in aedibus aut omnino in Urbe. Contra, verbo illud notemus, haud tantum, ut et reliqui fere Veteres, sub dio, Athenienses etiam extra Urbem, mortuos sepeliebant omnes. *Ceramicus*, qui locus honoris caussa dabatur iis qui in bello occubuissent, nonnumquam et aliis, is ipse extra Urbem erat: videantur Meursius in Ceramic. Gemin. c. 2 et 3: Petitus VI. 8. p. 595. sqq. — Xenophontem, ut ad rem redeamus praesentem, confirmant Thucydides I. 138., tum, qui hoc ex eo refert, Nepos in Themist. c. 10. fin., de Themistocle narrantes, eum absentem proditionis damnatum, postea Magnesiae mortuum esse, » ossaque ejus clam in Attica ab amicis sepulta, quo- » niam legibus non concederetur, quod proditionis esset » damnatus." Constat adeo ex Lycurgi Oratione in Leocratem p. 217 sq., quum Phrynichus ille, de quo supra vidimus, noctu interfectus esset, caedisque auctores ab

ejus amicis comprehensi et in carcerem essent abducti, contra multis tamen factum laudantibus; igitur populum jussisse ut de mortuo judicium fieret: qui si proditionis esset damnatus, adeoque secundum leges in patriâ non sepeliendus, tum vero ejus ossa effodi et extra fines Atticae projici oportere. Itaque, damnato Phrynicho, ex populi scito factum est. Hoc autem ipsum, *in patria sepeliri*, de civibus Atheniensibus loquens, ornatius dixit idem Lycurgus, ibid. p. 237., ἐν ἐλευθέρῳ ἐδάφει τῆς πατρίδος ταφῆναι, » in libero solo patriae se» peliri."

Tanta igitur Atheniensium in patriae proditoribus puniendis fuit severitas. Quin eo usque odii aliquando processerunt, ut quum de interfecto hoc Phrynicho proditionis reo judicium haberi jussissent, amicique ac familiares defuncti, Aristarchus et Alexicles, se caussam ejus defensuros essent professi; horum quidem orationes audierit populus: Phrynicho tamen damnato, item eos, tamquam proditores ipsi essent qui pro proditore verba facerent, lege in eam rem lata interfecerit, neque in Attica sepeliri sit passus. Rem refert Lycurgus In Leocrat. p. 218.

Et sane proditionis crimen, periculosis quidem reipublicae temporibus, latissime saepe est extensum. Quo pertinet populiscitum illud, a Lycurgo Oratore ibid. p. 221. sq. memoratum, de Senatore quodam, quem collegae, detractâ ipsi de capite coronâ quam muneris caussa gestabat, in insula Salamine suis ipsi manibus interfecerunt, siquidem Urbe eversa, de republica desperare populique caussam sua oratione prodere visus esset. Nam quod ante hoc exemplum allatum, Lycurgus ibid. p. 221. alterum ponit, decreti ab Atheniensibus facti adversus eos, qui, civitate a Lacedaemoniis obsessâ, Deceleam abiissent: si quis eorum deprehende-

retur, eum a quovis de populo ad Thesmothetas abduci licere, tum ab his comprehensum, morti esse tradendum; non addit Orator, quoniam hoc ab ejus proposito alienum erat, Deceleam tunc a Lacedaemoniis occupatam fuisse, adeoque hoc quidem psephisma non tam insignis severitatis esse documentum. Multo sane atrocius illud, quod, audita clade Phocensibus a Philippo illata, populus, rogante Callisthene, tulit; ut nemo extra Urbem pernoctaret, nisi qui in praesidiis positus esset: horum quisque locum suum ne desereret: quicumque huic decreto non paruisset, eum proditionis poenis teneri: de qua lege conferendus est Demosthenes De Corona p. 238. Quin Lycurgus, unus omnium ejusdem aetatis Oratorum maxime vitae integritate excellens, Oratione quam hodieque solam ejus superstitem habemus, Leocratem inimicum eo nomine proditionis accusat morteque puniri jubet, quod difficilibus temporibus patriam reliquisset communeque civium periculum ignave tulisset.

CAPUT VI.

Δήμου κατάλυσις. Καταλύειν τὸν δῆμον, τὴν δημοκρατίαν Συγκαταλύειν. Poena.

Proditionis crimini affine est aliud crimen, in Atheniensium rebus frequenter item commemoratum, quod δήμου κατάλυσιν vocabant, eorumque erat, qui leges patrias evertere populique imperium minuere conarentur. Quum enim per se lex nulla esse possit in ipsos tyrannos, quippe quibus rerum potitis omnes leges cessent: in eos quidem qui tyrannidem affectarent, Solon judicium dedit, eosque damnatos morte puniri jussit: teste Plutarcho Comparat. Solon et Poplic. p. 110. C. Ubi a Plutarcho eadem lex significatur, quae frequentius commemorari solet tamquam lata adversus τοὺς καταλύοντας τὸν δῆμον. Nam hoc ipsum erat καταλύειν τὸν δῆμον, δήμου κατάλυσις: itaque passim haec usurpantur, cum ab aliis Scriptoribus, tum in primis a Thucydide, veluti VI. 27. de Hermarum vultibus circumcisis (1) praejudicioque ea de re facto: (cum quo loco conferendus est Andocides De Myster. p. 18, idem fere iisdem verbis narrans): ibid. 28. universe de statuis mutilatis, de mysteriis per contemtum domi privatim factis, et de Alcibiade

(1) Scholiastes ad h. l. ex Pausania Grammatico docet, Hermis colla et pudenda abscissa: quo respicit Aristophanes Lysistr. v. 1095. Cf. Dukerus ad Thucyd. l. c.

hujus utriusque criminis insimulato: »quod," auctore Nepote Alcib. 3., »nefas erat more Atheniensium: idque »non ad religionem, sed ad conjurationem pertinere »existimabatur." Quamquam Isocrates, De Bigis p. 347. E. 348. A., hanc ipsam rem referens, Alcibiadem utroque nomine, cum ἀσεβείας, tum δήμου καταλύσεως, accusatum prodit. Eadem porro usurpantur a Thucydide VIII. 54., de collegiis ac sodalitiis quorum operam Pisander sollicitaverat, ut rerum summam a Populo ad Optimates transferret: item III. 81., ad quem locum conferendus est Dukerus, hanc dictionem ex Aristotele illustrans. Addi possunt exempla quae sunt apud Xenophontem Hist. Gr. I. 7. § 10. p. 49. Mori: Lysiam Orat. XXX. p. 850. Lycurgum In Leocr. p. 223: Demosthenem De Contribut. p. 170. 7. 11. 13: In Timocrat. p. 745. 14: p. 746. 22: In Stephan. II. p. 1137. pr.: In Theocrin. p. 1333. 7: tum vero De Foed. cum Alexandr. p. 214. 17., ubi καταλέλυκε τὸν δῆμον est e correctione Felicianeâ, Wolfio probata, a Reiskio item recepta, quamquam lectio vulgata, καταλέλυκε τὴν πόλιν, mihi quidem, non mala videatur. Porro κατάλυσις τοῦ δήμου est apud Æschinem In Ctesiph. p. 628: qui idem ibid. p. 589, ut, ex ipsâ lege Demophanti, Andocides De Myster. p. 48., (quem locum mox spectabimus,) tum Aristoteles subinde, καταλύειν τὴν δημοκρατίαν dixit. Quod quum plerumque plures simul aggrediantur, hinc et συγκαταλύειν τὸν δῆμον hac in re usurpatur, veluti ab Andocide ibid. p. 51. pr.: Lysia Orat. XVI. p. 573: alibi.

Hujusmodi crimen itaque Solonem morte punivisse, patet ex Plutarchi loco, Comparat. Solon. et Poplic. p. 110. C, initio hujus Capitis allato. Reum, perinde ut de proditionis accusato modo vidimus, statim ab initio nec dicta caussa a Senatu in carcerem abripi,

neque, ut in aliis criminibus, vades dari potuisse, tradit Demosthenes In Timocrat. p. 745. 14. Postea item denuo novisque adeo poenis in istud esse animadversum, idque ipsum, cum aliis aliquot generis facinoribus, memoratum lege illa Demophanti, hoc quidem paullo post videbimus Cap. VIII., ubi de hac lege ex professo agemus.

CAPUT VII.

Canoni psephisma. Ἀδικεῖν τὸν δῆμον. Βάραθρον.

Spectandum est hoc loco populiscitum, de quo a Xenophonte Hist. Gr. I. 7 § 10 p. 46. ed. Mori, sub persona Euryptolemi, his verbis refertur: Ἴϛε δὲ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, πάντες, ὅτι τὸ Κανώνου (1) ψήφισμά ἐϛιν ἰσχυρότατον, ὃ κελεύει, ἐάν τις τὸν τῶν Ἀθηναίων δῆμον ἀδικῇ, δεδεμένον ἀποδικεῖν (2) ἐν τῷ δήμῳ· καὶ ἐάν καταγνωσθῇ ἀδικεῖν, ἀποθανόντα ἐς τὸ βάραθρον ἐμβληθῆναι· τὰ δὲ χρήματα αὐτοῦ δημευθῆναι, καὶ τῆς θεοῦ τὸ ἐπιδέκατον εἶναι. »Nostis autem, o viri Athenienses, omnes, Canoni psephis-

(1) Quisnam hic Canonus fuerit, non satis constare: tum duo Canoni psephismata fuisse Athenis, disputat Morus ad h. l., in primis Praefat. p. XXVIII. sq. Quam sententiam, licet a Kustero profectam, equidem non probo. Ejusdem omnino psephismatis, ab Aristophane Eccles. v. 1081. (verba mox apponemus) significati, plenior mentio exstare videtur apud Xenophontem. Illud quidem ad solos εἰσαγγελίας reos pertinuisse, non ait ipse Aristophanes, Grammatici aiunt. Et hoc ipsum, *ut reus caussam dicat prehensus*, quod Morus recte ait, in eo decreto caveri de quo loquitur Aristophanes, idem est quod hoc loco significat Xenophon, eum *vinctum*, δεδέμενον, caussam ad populum dicere oportere.

(2) Verbum rarum, quod Hesychius in v. explicat ἀπολογεῖσθαι δίκην, haud dubio, ut recte ejus Interpretes monuerunt, ad hunc ipsum locum respiciens. Morus ad h. l., tum in Indice, bene vertit *caussam dicere*, *se defendere*.

» ma gravissimum esse, quod jubet, si quis populum » Atheniensium laedat, eum vinctum caussam apud po» pulum dicere: et si damnatus fuerit injuriae datae, » eum mortuum abjici in barathrum: bona vero ejus » publicari, Minervaeque decumam eorum consecrari."

Hoc igitur populiscito cautum est, ut quod de proditoribus duntaxat statusque popularis eversoribus Solon statuerat: eos a Senatu vinctos in judicium esse tradendos: damnatos, bonis publicatis, morte afficiendos; idem quoque obtineret in illos, qui quamvis nec patriam prodere nec populare imperium dissolvere, attamen injuriam facere populo eumque laedere viderentur. Ejusdemque rei mentio fit a Dinarcho Adv. Phil. l. p. 93.: Ὁ μὲν κοινὸς τῆς πόλεως νόμος, ἐάν τις ἐναντίον τῶν πολιτῶν ὁμολογήσας τι παραβῇ, τοῦτον ἔνοχον εἶναι κελεύει τῷ ἀδικεῖν: » Communis lex civitatis, si quis contrarium » civibus quid professus peccet, hunc reum esse jubet » injuriae." Qua lege perspicuum est eo majorem calumniae locum datum esse, quo latius illud *populum laedere*, *ἀδικεῖν τὸν δῆμον*, pateret. Quamquam ipsum hoc acerbissimum populi decretum, quoniam tamen legitimo modo singulatim de singulis reis quaeri iisque justam defensionem dari jubebat; aliquando, adversus sententiam Senatus iniquissimam, de classis ducibus, qui, devictis ad Arginusas Lacedaemoniis, propter vim tempestatis mortuos tollere non potuissent, in eorum gratiam adduxit Euryptolemus, ut ex hac lege de singulis judicium fieret: Xenophon d. l. in primis § 11. p. 51. Eamdemque cum Euryptolemo sententiam jam ante ipsum defenderat Socrates ille, qui eo tempore Epistata erat. Rem prodit Xenophon l. c. § 9. fin.: item Mem. Socr. I. 1 § 18: IV. 4. § 2. Et vero hoc Canoni psephisma memorat et Aristophanes Eccles. v. 1081:

Τουτὶ τὸ πρᾶγμα κατὰ τὸ Καννώνου σαφῶς
Ψήφισμα, βινεῖν δεῖ με διαλελημμένον.

» Haec sane res (est) secundum Cannoni
» Decretum: futuere me oportet hinc illinc prehensum."

verba scilicet ipsius decreti aliorsum detorquens, ut animadvertit Berglerus ad h. l.

Quod autem mortis damnatus jubetur *in barathrum abjici*, ἐς τὸ βάραθρον ἐμβληθῆναι: verbo monendum est, hunc profundum terrae hiatum fuisse Athenis, in quem eorum corpora, qui capitis erant puniti, aliquando projici solebant: memoratum cum aliis Scriptoribus, tum Aristophani Plut. v. 431: v. 1110: Equit. v. 1359: Nub. v. 1452: Ran. v. 582: Plauto Rud. II. 7. v. 12. De eo conferendi sunt Meursius Att. Lect. I. 25: Valesius ad Harpocrationem in v.: Ruhnkenius ad Timaeum in v. p. 60 not. 6. Idem ὄρυγμα dictum; unde ὁ ἐπὶ τῷ ὀρύγματι, *carnifex*, usurpatur a Dinarcho In Demosth. p. 46: eodemque sensu usurpatur ὁ ἐπὶ τοῦ ὀρύγματος, (nisi, monente et praceunte Tayloro, hoc quoque loco reponendum sit ὁ ἐπὶ τῷ ὀρύγματι,) a Lycurgo In Leocrat. p. 221., in enarrando populiscito, de quo antea monuimus, in eos qui se Deceleam recepissent: qui huic viro tradendi dicuntur. Dinarchus de cujusnam criminis damnatis loquatur, non satis apparet. Caeterum Miltiadem, nobilissimum illum Persarum victorem, mortuum ex populiscito in barathrum esse dejectum, constat ex Platone Gorg. p. 309. H., cujus verba adduxit Ruhnkenius l. c. Item Darii legatos, qui terram et aquam Athenienses rogarunt, ab his in barathrum esse dejectos, narrat Herodotus VII. 133. Et diu ante eodem modo Phrygem, qui de Cerere Proserpinam quaerente vaticinatus esset, quasi deliraret, a populo esse habitum, refertur a Suida v. μητραγύρτης, et a Scholiaste Aristophanis ad Plutum v. 431., citato apud Valesium d. l.

Barathrum quidem proprium fuisse Atheniensium, ut in eadem re τὸ φρέαρ, *puteum*, Spartanorum, conjici potest ex loco Herodoti quem modo citavimus: ubi de utroque populo similiter prodit, tum vero et barathrum, et puteum, tamquam certas notasque res designat. De barathro sane hoc dubio caret, cum propter gravissimum Herodoti testimonium, tum ob ea quae jam antea diximus, tum denique ob verba Ammonii in v. ita definientis: Βάραθρον δὲ, ὄρυγμά τι Ἀθήνησιν, εἰς ὃ τοὺς κακούργους ἐνέβαλλον: »Βάραθρον vero, terrae hiatus quidam Athe»nis, in quem maleficos projiciebant." De ejusmodi loci nomine legitimo apud Lacedaemonios fortasse dubitari possit: sed haec quidem nihil ad rem praesentem. Magis operae pretium erit notasse priora Ammonii verba: Βάραθρος καὶ βάραθρον διαφέρει. Βάραθρος μὲν γὰρ, ὁ βαράθρου ἄξιος ἄνθρωπος. Βάραθρος et βάραθρον differt. »Βάραθρος »enim, homo dignus βαράθρου. Rariorem vocis usum, »quem solis Grammaticis acceptum ferimus, tetige»runt Jos. Scaliger ad Varr. De R. R. p. 224 et »Is. Vossius ad Catull. p. 320:" ut monet Valckenarius ad Ammonium d. l. p. 42. sqq., qui et ipse plura attulit. Idemque ibidem, sed plenius in Scholiis in Act. Apostol. 24, 5, Tom. I. p. 603., verissime ait: »hoc Graecis et Romanis in more positum fuisse, »ut homines vitiis praeditos ipsis vitiorum nominibus »appellent, seu earum rerum quibus illi digni judi»centur: itaque Comicis Latinis homines sceleratos, »dignos cruce, patibulo, verberibus, carcere, vocari »solere crucem, patibulum, mastigia, carcerem: Graecis, »dignum qui in barathrum praecipitetur, βάραθρον vocari »et ὄλεθρον." Cui Valckenarii loco addi potest aliud exemplum, Dinarchi In Demosth. p. 12, 11, τὸ κάθαρμα vocantis ipsum hominem impurum et sceleratum: tum Æschinis In Ctesiph. p. 606., simili ratione de ipso ho-

mine hanc vocem καθάρματα usurpantis. Caeterum iisdem fere, quibus Ammonius, verbis, item utitur Thomas Magister in v., ad quem locum conferri possunt animadversiones Hemsterhusii: porro, quod idem, quem jam saepius sententiae nostrae auctorem laudavimus, Valckenarius, ibid. Animadv. in Ammonium p. 42 sq. addit: »Thomae Magistro βάραθρος Atticis loquendi legibus minus »videbatur conveniens: κρεῖττον δὲ, inquit, λέγειν βαράθρου »ἄξιος, ἢ ὀλέθρου. Levi vitio, nonnullius tamen hac in »re momenti, Thomam liberabis, modo scripseris: ἢ »ὄλεθρος: quod istâ significatione longe frequentissi»mum (1).” Quam emendationem quo magis probo, quoque magis universe acquiescendum puto in ejusdem viri auctoritate, eo major dubitatio mihi oritur, an vox illa βάραθρος, quam Thomas Magister diserte reprehendit, quamque praeterea non nisi apud alios illos Grammaticos legimus, hinc satis auctoritatis habeat quo sese tueatur: neve potius simpliciter dicendum sit, βάραθρον, neutro genere, cum de ipso loco, tum de homine digno qui in locum illum praecipitetur, apud Atticos usurpari.

Et vero hujus ejusdem vocis elegans usus est apud Demosthenem In Aristogit. I. p. 793 init., de homine scelerato sic loquentem: Τούτῳ δ' οὐδένα ὁρῶ τῶν τόπων τούτων βάσιμον ὄντα, ἀλλὰ πάντα ἀπόκρημνα, φάραγγας, βάραθρα. »Huic autem nullum video horum locorum »stabilem esse, sed omnia praerupta, praecisa, barathra.” Apud eumdem, De Militib. in Cherson. p. 101. 1., et loco parallelo, In Philipp. IV. p. 135 fin., item dicitur χειμάζειν ἐν τῷ βαράθρῳ, »hyemare in barathro,” de Thracici coeli inclementia, quae Atticae terrae opponitur abundantiae et amoenitati.

(1) Veluti, ne alia nunc exempla adferamus, Dinarchus In Demosth. p. 55. 7. τὸν τῆς Ἑλλάδος ὄλεθρον vocat Demosthenem.

cujus partim memorat Lycurgus, partim Demosthenes, quaeque integra hodieque exstat in Andocidis Oratione De Mysteriis p. 47. sqq., his verbis: Ἔδοξε τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ. Αἰαντὶς ἐπρυτάνευε, Κλεογένης ἐγραμμάτευε, Βοηθὸς ἐπεςάτει. τάδε Δημόφαντος συνέγραψεν. Ἐάν τις δημοκρατίαν καταλύῃ τὴν Ἀθήνῃσιν, ἢ ἀρχήν τινα ἄρχῃ καταλελυμένης τῆς δημοκρατίας, πολέμιος ἔςαι Ἀθηναίων, καὶ νηποινὶ τεθνάτω· καὶ τὰ χρήματα αὐτοῦ δημόσια ἔςω, καὶ τῆς θεοῦ τὸ ἐπιδέκατον. ὁ δὲ ἀποκτείνας τὸν ταῦτα ποιήσαντα καὶ ὁ συμβουλεύσας, ὅσιος ἔςω καὶ εὐαγής (1). Ὁμόσαι δ' Ἀθηναίους ἅπαντας καθ' ἱερῶν τελείων, κατὰ φυλὰς καὶ κατὰ δήμους, ἀποκτείνειν τὸν ταῦτα ποιήσαντα. Ὁ δὲ ὅρκος ἔςω ὅδε· Κτενῶ τῇ ἐμαυτοῦ χειρὶ, ἂν δυνατὸς ὦ, (2) ὃς ἂν καταλύσῃ τὴν δημοκρατίαν τὴν Ἀθήνησι καὶ

Meierus Hist. J. Att. de Bon. Damnat. p. 3. sqq. pluribus rationibus hanc sententiam refellere conatur, ad illud vero tempus legem referendam esse docet, quo modo sublata erat Quadringentorum tyrannis. Quas rationes quamquam partim leviores ducam, attamen universe idem affirmare non ausim: omnino, quid sequar, dubius haereo. — Caeterum lectis iis, quae habet Meierus p. 1—15, quaeque in eo ipso argumento versantur quod nos Cap. V—VIII. tractavimus, non est quod in hac nostra disputatione aliquid aut mutemus aut eidem addamus. *Προδοσίαν* ab ipso haud satis accurate vocari *perduellionem*, ut neque *κατάλυσιν τοῦ δήμου crimen majestatis*, recte observatur in Jen. Algem. Liter. Z. Oct. 1822. no. 202. p. 153.

(1) Legem his verbis commemorat Lycurgus In Leocrat. p. 223. *Ἐψηφίσαντο καὶ ὤμοσαν, ἐάν τις τυραννίδι ἐπιθῆται, ἢ τὴν πόλιν προδιδῷ, ἢ τὸν δῆμον καταλύῃ, τὸν αἰσθανόμενον καθαρὸν εἶναι ἀποκτείναντα.* »Sciverunt et jurarunt, si quis tyran»nidem adgrediatur, aut civitatem prodat, aut statum popularem »corrumpat, animadvertentem purum esse qui ipsum interficiat." Et paullo ante vocat *τὴν ςήλην περὶ τῶν προδότων, καὶ τῶν τὸν δῆμον καταλυόντων:* »columnam de proditoribus et status popularis eversoribus."

(2) Hoc loco reponenda videntur verbo *καὶ λόγῳ, καὶ ψήφῳ,*

ἐάν τις ἄρξῃ τὴν ἀρχὴν καταλελυμένης τῆς δημοκρατίας τολοιπὸν, καὶ ἐάν τις τυραννεῖν ἐπαναςῇ, ἢ τὸν τύραννον συγκαταςήσῃ· καὶ ἐάν τις ἄλλος ἀποκτείνῃ, ὅσιον αὐτὸν νομιῶ εἶναι καὶ πρὸς θεῶν καὶ δαιμόνων, ὡς πολέμιον κτείναντα τῶν Ἀθηναίων· καὶ τὰ κτήματα τοῦ ἀποθανόντος πάντα ἀποδόμενος, ἀποδώσω τὰ ἡμίσεα τῷ ἀποκτείναντι, [καὶ λόγῳ, καὶ ψήφῳ,] καὶ οὐκ ἀποςερήσω οὐδέν. ἐὰν δέ τις κτείνων τινὰ τούτων ἀποθάνῃ, ἢ ἐπιχειρῶν, εὖ ποιήσω αὐτόν τε καὶ τοὺς παῖδας τοὺς ἐκείνου, καθάπερ Ἁρμόδιόν τε καὶ Ἀριςογείτονα (1), καὶ τοὺς ἀπογόνους αὐτῶν· ὁπόσοι δὲ ὅρκοι ὀμώμονται Ἀθήνησιν, ἢ ἐν τῷ ςρατοπέδῳ, ἢ ἄλλοθί που, ἐναντίοι τῷ δήμῳ τῶν Ἀθηναίων, λύω καὶ ἀφίημι.

» Placuit Senatui et populo. Æantis Tribus praefuit: » Cleogenes scribae munus obiit: Boëthus praefuit cogni» tioni. Haecce Demophantus scripsit. Si quis statum » popularem Athenis everterit, aut magistratum quemdam » gesserit everso statu populari, hostis esto Atheniensium, » et inulto moritor: et bona ejus publicantor, et decima » pars esto sacra Minervae. Ejusmodi molientem vero » qui peremerit hujusve consilii socius fuerit, sanctus esto

quae in sequentibus occurrunt, et ibi certissime alienum locum occuparunt. Lycurgus d. l. p. 225. populiscito Demophanti delatum jusjurandum ait, κτείνειν τὸν τὴν πατρίδα προδιδόντα, καὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ καὶ χειρὶ καὶ ψήφῳ. — Caeterum Reiskius Ind. Andocid. v. λόγος recte vertit, *tam oratione quam suffragio vel tabella tacita.* Itaque et in versione expressi, tum loco restitui.

(1) Ad hanc legis partem respicit Demosthenes Adv. Leptin. p. 505 fin. sq. ubi meminit τῆς *Δημοφάντȣ* (ita enim ex libris scriptis correxit Valckenarius Ad Herodotum V. p. 398, et reposuit Reiskius pro vitioso *Διοφάντȣ*) ςήλης, ἐν ᾗ γέγραπται καὶ ὀμώμοςαι, ἄν τις ἀμύνων τι πάθῃ τῇ δημοκρατίᾳ, τὰς αὐτὰς δώσειν δωρεὰς, ὥσπερ *Ἁρμοδίῳ* καὶ *Ἀριςογείτονι*: » Demophanti columnae, in » qua scriptum est et juratum, si quis quid patiatur auxilium ferens » statui populari, eadem ipsi danda esse praemia, quae Harmodio et » Aristogitoni."

» ac pius. Jurare autem (oportere) Athenienses omnes
» super hostiis perfectis, tributim et curiatim, occidere
» eum qui haec fecerit. Jusjurandum vero esto hujus-
» modi: Occidam mea ipse manu, si possim, et ora-
» tione, et suffragio, quicumque everterit statum popu-
» larem Athenis, et si quis magistratum gesserit popu-
» lari statu everso in posterum, et si quis tyrannidem
» moliatur, vel tyrannum adjuvet: et si quis alius occi-
» dat, sanctum eum habebo et erga deos et erga dae-
» mones, tamquam qui interfecerit hostem Atheniensium:
» et bona peremti omnia publice vendens, partem dimi-
» diam percussori dabo, et nihil defraudabo. Si quis
» autem quemdam horum occidens idve moliens (ipse)
» perierit, eum quidem ejusque liberos bene faciam,
» sicut Harmodium et Aristogitonem et horum posteros.
» Quaecumque vero sacramenta jurata fuerint Athenis,
» vel in castris, vel uspiam alibi, in fraudem populi
» Atheniensium, (ea) rescindo irritaque pronuncio."

Quae Andocidis verba quum non opus esse videatur ut a nobis annotatione illustrentur, haec jam dicta sufficiant de iis quorum nomina pilis erant inscripta, quique a communi illâ oblivionis lege primo loco erant excepti.

CAPUT IX.

Σφαγεῖς, Sicarii. — Tribunalia de caede. Areopagus: Palladium, Ephetae: Delphinium: Prytaneum: in Phreatto. — Poenae.

Jam nunc porro spectemus alteram legis exceptionem, ac de caedis damnatis videamus. Nam ita ajebat Andocides: locum supra Cap. II. p. 7 integrum apposuimus: *πλὴν ὁπόσα ἐν ςήλαις γέγραπται τῶν μὴ ἐνθάδε μεινάντων, ἢ ἐξ Ἀρείου πάγου, ἢ τῶν Ἐφετῶν, ἢ εκ Πρυτανείου, ἢ Δελφινίου ἐδικάσθη ὑπὸ τῶν βασιλέων, ἢ ἐπὶ φόνῳ τίς ἐςι φυγὴ, ἢ θάνατος κατεγνώσθη, ἢ σφαγεῦσιν ἢ τυράννοις*: » ex» ceptis iis quorum nomina pilis inscripta sint exsulum, » aut qui ab Areopago, vel ab Ephetis, vel a Prytaneo, vel a » Delphinio condemnati sint auctoritate Regum Sacrorum, » sive propter caedem sit exsilium quoddam, sive mors sit » decreta, vel sicariis, vel tyrannis." Capp. IV—VIII satis fuse exposuimus quid sit *ςήλη*, et quinam his *ςήλαις* inscriberentur: eosque omnes ejusmodi vidimus esse generis, quos h. l. Andocides significare potuerit communi nomine *τυράννων*, *tyrannorum*. *Σφαγεῖς*, *homicidas*, nullibi tamquam *ςηλίτας* memoratos vidimus. Ut haud dubio duplex universe hominum genus notet Andocides, primum *πλὴν* —— *μεινάντων*, alterum *ἢ ἐξ Ἀρείου πάγου* —— *κατεγνώσθη*: quos tum porro distinguit, inversoque ordine,

σφαγεῖς vocat et τυράννους, tertio casu utens ob verba proxima et ad utrosque pertinentia, ἢ θάνατος κατεγνώσθη.

Nos, qui in primo illo genere significando brevitatem Andocidis luculentâ explicatione compensare studuimus, locumque haud satis cognitum per partes explanare: hic contra, rem cum plenius ab ipso declaratam, tum aliunde bene notam, paucis verbis expediri posse putamus.

Ab antiquissimis inde temporibus *Areopagi* auctoritas, et alias ob caussas fuit celebrata, et vero in primis propter judicia illa de caede, quorum sapientiae ipsos sese Deos submisisse fama est. Ex pluribus aliis, testimonium citasse suffecerit Demosthenis In Aristocrat. p. 641. Idque eo magis praesenti loco appositum, quod ipsa illa oratio Demosthenea tum deinceps jus quod suâ aetate Athenis obtinebat ita diserte exponit et enucleate, ut vix aliâ explicatione indigere, Andocidemque ex solo ejus suppare Demosthene explicare posse videamur.

Igitur et tum temporis penes *Areopagum* judicia manserunt de caedibus, i. e. de caedibus dolo malo et per injuriam perpetratis, de sicariis: Demosthenes ibid. p. 641. fin sq.: Τοῦτο μόνον τὸ δικαστήριον, οὐχὶ τύραννος, οὐκ ὀλιγαρχία, οὐ δημοκρατία τὰς φονικὰς δίκας ἀφελέσθαι τετόλμηκεν. » Hoc solum tribunal, neque tyrannus, » neque oligarchia, nec Democratia (ei) judicia de caede » adimere ausit." Similiter et alibi passim.

Alterum erat *tribunal in Palladio*, τὸ ἐπὶ Παλλαδίῳ, quod judicabat de caedibus fortuitis, involuntariis, τῶν ἀκουσίων φόνων: Demosthenes p. 643. 19. Exemplum est apud eumdem oratorem In Neaer. p. 1348. 12. Judicesque hos ipsos vocari Ἐφέτας, *Ephetas*, manifesto patet ex Demosthene Adv. Macart. p. 1069. 6. Itaque et ab Andocide, ipso eo nomine τῶν Ἐφετῶν significari. Quamquam proprie, inspectaque origine, nomen hoc ad *omnes* judices pertinuisse qui de caede co-

gnoscerent, nec nisi usu et propter majorem caussarum frequentiam tribunali in *Palladio* videatur adhaesisse (1). *Areopagum* vero ex isto numero excipias; huic enim (qua de re alibi diximus, Cap. V. p. 38 not.) et dignitas major auctoritasque, et nomen excelsius erat *βουλή*.

Tribunal *Delphinii*, *Δελφινίου*, Andocidi nuncupatum, memorat illud et Demosthenes p. 644. 20., idque judicare pronunciat *ἂν τις ὁμολογῇ μὲν κτεῖναι, ἐννόμως δέ φῇ δεδρακέναι*, »si quis fateatur quidem occidisse, jure vero »dicat fecisse."

Quartum numerat Demosthenes d. l. p. 645. 14. tribunal *in Prytaneo*, *τὸ ἐπὶ Πρυτανείῳ, ἐὰν λίθος, ἢ ξύλον, ἢ σίδηρος, ἤ τι τοιοῦτον, ἐμπεσὸν πατάξῃ, καὶ τὸν μὲν βαλόντα ἀγνοῇ τις, αὐτὸ δὲ εἰδῇ, καὶ ἔχῃ, τὸ τὸν φόνον εἰργασμένον.* »Si lapis, vel lignum, vel ferrum, vel quid »ejusmodi, projectum laeserit, et eum quidem qui pro»jecit, quis ignoret, ipsum autem illud norit, et habe»at, quod mortem operatum sit." Et idem *ἐκ Πρυτανείου*, inverso tantum paululum ordine, i. e. ante Delphinium, est apud Andocidem.

Quinto ultimoque loco Demosthenes ibid. l. 26. recenset tribunal *τὸ ἐν Φρεαττοῖ*, *in Phreatto*, ibique lege judicium ait fieri, *ἐάν τις, ἐπ' ἀκουσίῳ φόνῳ πεφευγὼς, μήπω τῶν ἐκβαλόντων αὐτὸν ᾐδεσμένων, αἰτίαν ἔχῃ ἑτέρου φόνου ἑκουσίου·* »Si quis, ob caedem involuntariam ex»sulans, nondum placatis iis qui eum ejecissent, accu»sationem habeat alius caedis voluntariae." Ab Andocide id tribunal non memoratur. Recte quidem. Nam in eo non genus quoddam caedis diversum ab eo, quod in caeteris tribunalibus, dijudicabatur. Locus tantum-

(1) Memorantur et v. c. *Ἐφέται* bis a Demosthene in Aristocrat. p. 632, uti potius Delphinium significetur quam Palladium. Et vero *Ἐφέται* sunt pp. *judices majores*, ab *ἐφιέναι*, *provocare*, *ἔφεσις*, *provocatio*.

modo erat diversus, *in Phreatto* vocatus, isque situs in littore maris; ut reus quidem, cui leges extra fines patriae manere jubebant, (nam ea erat poena homicidii fortuiti), ex navi caussam dicere, judices in terrâ sedentes ipsi patriâ possent ferre judicium. Sic Demosthenes ibid. p. 646.

Et vero, ne quem turbet utique ab eodem Andocide mentionem fieri tribunalis *in Prytaneo*, ubi lis erat si res nec animata, instrumentum caedis, patesceret, auctor ipse caedis lateret; illud haud dubio ita intelligendum est. Omnes caedis accusationes, ut alius generis ad alios magistratus, sic ipsae ad Regem Sacrorum deferebantur: qui, praejudicio facto, vel eas repudiabat, vel ad unum remittebat ex illis tribunalibus, ad quod quidem ipsi caussa videretur pertinere. Sed hujus demum tribunalis erat caussam plene cognoscere, et sententiam dicere; quae poterat longe omnino abire ab illa praeviâ Regis Sacrorum cognitione, cum alias ob caussas, tum quod multae res in facto positae, circumstantias ajunt, in ipsâ demum lite saepe innotescerent. Itaque et in Prytaneo reus caedis fieri, ejusque sive sponte sive fortuito commissae poterat quis damnari.

Verbis illis, ἢ ἐπὶ φόνῳ τίς ἐςι φυγὴ, ἢ θάνατος κατεγνώσθη, his verbis, ni vehementer fallor, ad propriam illam ac singularem Athenis judiciorum hujus generis respicitur rationem. Nam quum caedes universe duplicis sit generis, i. e. aut voluntaria, ἐκ προνοίας, aut involuntaria, ἀκούσιος: priorem illam morte leges puniebant, ut certissime constat, nec testimonia citasse opus est. Ad ejusmodi damnatos ergo pertinent Andocidis ultima verba, ἢ θάνατος κατεγνώσθη. »vel (quibus) mors »decreta sit." Priora illa: ἢ ἐπὶ φόνῳ τίς ἐςι φυγὴ, »vel »(quibus) ob caedem quaedam sit fuga," haec mihi quidem incorrupta recteque ita sese habere, tum bifariam videntur intelligenda. — Nam in caussa caedis bis accu-

sator, bis item reus, alternis viribus dicebant; ita tamen ut post primam orationem reo, si caussae diffideret, a tribunali abire Atticamque relinquere, nec cuiquam liceret impedire hanc fugam: Demosthenes In Aristocrat. p. 643 (1). Exsilium voluntarium hoc erat perpetuum, item cum publicatione bonorum conjunctum. Idem In Midiam p. 528. 7. Ab Antiphonte De caede Herodis p. 711. antiquissimo illud et communi omnium Graecorum tribuitur instituto. — Et vero caedes involuntaria, φόνος ἀκούσιος, ut modo monuimus, et diserte proditur a Demosthene In Aristocrat. p. 634., in eam sic leges cavebant, ut damnato necesse esset exsulare per certum tempus, nisi prius accusatores placasset. Neque exsules ejusmodi dicebantur πεφευγότες, *fugitivi*, ut voluntarii homicidae, sed ἐξεληλυθότες, *absentes*: neque, ut illorum, bona publicabantur, sed illaesa manebant, ἐπίτιμα: Demosthenes ibid. — Ad utrumque ergo hoc genus hominum exsiliique speciem utramque, equidem referam Andocidis verba. Idque mores Graecorum suadere videntur illaque caedis etiam fortuitae religio. Certo tamen pronunciare haud ausim: nam proprio strictoque sensu, ut vidimus ex Demosthene, φυγὴ ad homicidas duntaxat pertinet voluntarios.

Itaque expositum est de iis, quos ex Andocide p. 38 exceptos vidimus ab illa τῶν ἀτίμων restitutione, post cladem ad Ægos Potamos, rogante Patroclide, a populo

(1) Exceptio erat in eo qui parentes, τοὺς γονέας, occidisset: Pollux VIII. s. 117, ex correctione quidem Hemsterhusii, locum Pollucis ex codice supplentis vocemque πλὴν ibi reponentis. Quamquam, me quidem judice, magis Graecorum moribus sit conveniens, tum vero omnium Scriptorum, Demosthenis praesertim in Aristocratea, Lysiae in Theomnaestea oratione, silentio, ne hic quidem exceptionem admittere, itaque apud Pollucem reponere, non πλὴν, cum Hemsterhusio, sed καὶ, cum Meursio Areopag. c 8. p. 51.

scita. Eamdem caeterum exceptionem jam antiquitus statuerat Solon. Sic enim sanxisse eum refert Plutarchus Solon. p. 88. E. Ἀτίμων ὅσοι ἄτιμοι ἦσαν πρὶν ἢ Σόλωνα ἄρξαι, ἐπιτίμους εἶναι, πλὴν ὅσοι ἐξ Ἀρείου πάγου ἢ ὅσοι ἐκ τῶν Ἐφετῶν ἢ ἐκ πρυτανείου καταδικασθέντες ὑπὸ τῶν βασιλέων ἐπὶ φόνῳ ἢ σφαγαῖσιν ἢ ἐπὶ τυραννίδι ἔφυγον, ὅτε θεσμὸς ἐφάνη ὅδε. » Ἀτίμων quotquot ἄτιμοι erant prius » quam Solon magistratu fungeretur, esse ἐπιτίμους: prae- » terquam quotquot ab Areopago vel quotquot ab Ephe- » tis vel a Prytaneo condemnati auctoritate Regum Sa- » crorum ob caedem vel homicidium vel ob tyrannidem » fugissent, quando lex obtinuit haec." Reliquis tribunalibus hic non additur Delphinium: quare, nescio.

CAPUT X.

Furtum. Κακοῦργοι. Ἐπαίτια. Προστιμᾶν: Προστίμημα. Ἀτιμία *ad posteros transit.*

De ipsis igitur videamus eâ Patroclidis lege in integrum restitutis. Et primo loco de furti damnatis.

Vulgo notissimum est, quam severas olim leges Athenis tulerit Dracon, de quo adeo perhibent, eum minimum quodque delictorum genus morte vindicasse. Multum quidem Solon ab ea remisit severitate, neque tamen ita, quin ejus reliquias quasdam retinuerit in legibus, quibus patriam instruxit, praeclarissimis. Ita furtum omne quum Dracon capite sanxisset, haec poena non prorsus abrogata a Solone, sed solummodo ad furta graviora restricta est. Nocturnum enim furem non tantum impune occidi permisit, verum et huic, et illi etiam qui interdiu vel sacram rem qualemcumque, vel supra decem drachmas e gymnasiis, balneis, similibus locis publicis, aut supra quinquaginta drachmas aliunde furatus esset, tum iis qui parietes suffodissent, maleficis, κακούργοις, his igitur omnibus poenam esse mortem jussit. Nec satis accurate Gellius XI. 18: » Solo — sua lege » in fures, non, ut Draco ante, mortis, sed dupli poena vindicandum existimavit." Verum de hac mortis poena, ex Solonis legibus in quosdam fures statuta, conferri possunt Demosthenes In Timocrat. p. 735. sq. Xeno-

phon Mem. S. I. 2. 62: Oecon. XIV. 5. Quamadhuc aetate Lysiae irrogari solitam fuisse, apparet ex ejus Oratione XXX. p. 863.

Caeterum haud temere mentionem quoque fecimus τῶν κακούργων. Nam generatim quidem κακοῦργος est *malus*, itaque adjective usurpatur, cum alibi, tum ab Æschine In Ctesiph. p. 404: κακοῦργος σοφιστής: » malus sophista:" Plutarcho De Capiend. ex inimic. utilit. p. 91. C: τὰ μοχθηρὰ καὶ ἀγεννῆ καὶ κακοῦργα πάθη: » affectus pravi et ignobiles et mali." Neque apud Æschinem De Fals. Leg. p. 311.: τῶν δὲ συκοφαντῶν, ὡς κακούργων, δημοσίᾳ προβολὰς ποιούμεθα: hac appellatione significantur nisi universe *homines pravi, malefici:* » Sycophantarum, ut- » pote hominum pravorum, publice accusationes insti- » tuimus." Eodemque sensu vox ea accipienda apud Ammonium v. Βάραθρον: quem locum supra adscripsimus Cap. VII. p. 50. Item rariori usu κακουργότατα adverbialiter ponitur, pro *omnium pessime*, apud Antiphontem Or. V. p. 650. Κακουργεῖν est *malo afficere, laedere:* et eo sensu de ipso equo dicitur apud Xenophontem. Oecon. III. 11. Κακουργεῖν τοὺς νόμους est apud Demosthenem In Timocrat. p. 721. 20: κακουργεῖν περὶ τὰ κοινὰ, apud Suidam v. Ἐνδεικνύναι. Proprie tamen οἱ κακοῦργοι dicuntur homines furtis, rapinis, aliisve modis, sibi ex alterius damno lucrum quaerentes. Veluti Plutarchus in Theseo p. 3. C. meminit τῶν λῃστῶν καὶ κακούργων, *latronum ac maleficorum*, quos primum Hercules, dein Theseus, repressit iisque Graeciam liberavit: quam quidem laudem quodammodo peculiarem Theseo fuisse cognovimus: cf. Plutarchus in Comparat. Thes. et Romul. p. 38. D. Aliisque locis apud eumdem Plutarchum. similiter ea vox accipienda est: Apophtheg. Lacon. p. 208. C: De Discrim. adulat. et amic. p. 57. C: item apud Aelianum Var. Hist. III. 44. Et vero Athenis

quoque in primis, in furum insigniorum numero habitos esse *κακούργους*, hos ipsos dici *κακουργεῖν*, apparet ex Andocide In Alcib. p. 120: Isaeo Or. III. p. 84: (1) Demosthene Adv. Lacrit. p. 940. 8. sqq: In Timocrat. p. 732. 14: p. 763. 24: Pseudo-Plutarcho Vita X Oratt. p. 841. D.: maxime ex notabili loco Antiphontis De Caede Herodis p. 707. sq., ubi legendus est Reiskius, cum in Nota subjecta, tum in Accession. p. 861; qui putat, legem illam in *κακούργους* latam pertinuisse »ad »solos fures, latrones, grassatores, manticularios, vec»ticularios, verbo, ad omnes, qui bona eripientes, vi»tam spoliatis salvam relinquunt." Certe ex Antiphonte l. c. patet, fures quosdam *κακούργων* nomine vocari, non item homicidas, qui ipsi aliis legibus tenerentur. Porro iis quos Reiskius singillatim enumerat, addi possunt *piratae*, ex Demosthene In Theocrin. p. 1339. 4: itemque de piratis ac latronibus ea dictio usurpatur ibid. p. 1342. 15. Eodem caeterum sensu, quo Atticis Scriptoribus *κακοῦργος*, nonnumquam Latinis poëtis dicitur *malus*, veluti Horatio, Satir. I. 4. v. 1.

»Eupolis atque Cratinus Aristophanesque poëtae,
»Atque alii, quorum Comoedia prisca virorum est,
»Si quis erat dignus notari, quod *malus*, aut fur,
»Aut moechus foret, aut sicarius, aut alioqui
»Famosus, magna cum libertate notabant."

Conferatur idem Horatius Satir. I. 2. v. 8.

Quod autem, praeter eos quos recensuimus, similiter reliquos omnes fures *manifestos* a Solone morte punitos esse contendit Bynkershoekius Observ. J. Rom. III. 16. p. 287; hujus quidem sententiae nullum auctorem lau-

(1) Apud Isaeum d. l. scriptum est: ἀπογραφεὶς εἰς τὴν βουλὴν κακουργῶν; ubi Reiskius, cum in Nota ad h. l., tum in Indice, τὴν βουλὴν intelligit Senatum Areopagiticum. Qua de re supra monuimus, Cap. V. p. 39. not.

davit, neque ullum exstare videtur ejusmodi legis vestigium. Contra, solis exceptis iis quos supra jam memoravimus, in caeteros fures multo lenius animadversum est a Solone. Sed hoc jam paullo accuratius spectemus.

Solonis legum illud fuit proprium, indeque ad Jus Romanum partim quoque fluxit, plura eas de iisdem delictis judicia dedisse, eaque inter se admodum diversa; quum alia magis ad damnum privatis illatum resarciendum, alia magis ad vindictam publicam et poenam spectarent: tum vel is tantummodo qui passus esset injuriam, vel quicumque de populo, privatus esset accusator, vel denique magistratus aliquis nomine civitatis reum in judicium vocaret. Insignis hac de re locus est Demosthenis In Androt. p. 601: ubi Solonem propterea summopere laudat, et vero ibidem cum alia hujus rei exempla excitans, tum ita de furto exponens. Ἔῤῥωσαι καὶ σαυτῷ πιςεύεις; ἄπαγε. ἐν χιλίαις δ᾽ ὁ κίνδυνος. Ἀσθενέςερος εἶ; τοῖς ἄρχουσιν ἐφηγοῦ (1). τοῦτο ποιήσουσιν ἐκεῖνοι. Φοβῇ καὶ τοῦτο; γράφου. Καταμέμφῃ σεαυτὸν, καὶ πένης ὢν οὐκ ἂν ἔχοις χιλίας ἐκτίσαι; δικάζου κλοπῆς πρὸς διαιτητὴν, καὶ οὐ κινδυνεύσεις (2). » Robustus es et te ipso » fretus? (furem) abduc in carcerem. sed mille drachmis » periclitaris. Infirmior es? magistratus ad furem deduc. » ipsi hoc facient. Id quoque formidas? accusa. Non » tibi fidis, et pauperior es quam qui mille drachmas » solvas? furti age apud arbitrum, et extra periculum

(1) Hoc sensu magis frequentatur ὑφηγεῖσθαι. Est tamen ἐφηγεῖσθαι alio etiam loco apud Demosthenem, In Aristogit. II. p. 803. 15.

(2) Verba quae proxime sequuntur apud Demosthenem, vel ejicienda sunt tamquam Scholion, vel potius ad aliud crimen pertinuerunt cujus significatio excidit librariorum culpà, certe ad locum de furto nil faciunt: ut Reiskio facile assentior.

» eris." Haec ad fures illos tantum pertinent quorum poena capitalis esset; siquidem horum tantum erat *ἀπαγωγὴ*, hos, inquam, non item reliquos, in carcerem ducere, *εἰς τὸ δεσμωτήριον ἀπάγειν*, vel Undecimviris tradere licebat. Videantur Andocides In Alcib. p. 120 fin: Demosthenes Adv. Lacritem p. 940: In Timocrat. p. 735 sq.: tum Antiphon De Caede Herodis p. 707 sq., ex quo apparet, etiam *ἔνδειξιν* in fures istos datam esse. Ex Isaeo quidem, Or. III. p. 83. sq., conjicias, in carcerem abduci potuisse omnes fures *manifestos*, *κλέπτας ἐπ᾽ αὐτοφώρῳ*: sed hunc locum esse corruptum, ut Reiskio, ita mihi, satis apparet: medicina non item in promtu est. Ad ea tamen verba, quamquam non a se allata, forte respexit Bynkershoekius: nisi potius ad Orationem Demosthenis In Steph. I. p. 1125. fin. sq., ubi similiter memoratur *κλέπτης ἐπ᾽ αὐτοφώρῳ*, et *ἀπαγωγὴ* in hunc data: minime vero hoc sensu, ut quicumque fur manifestus morti tradi possit. — Caeterum apud Demosthenem In Androt. p. 601., *magistratus*, *ἄρχοντες*, intelligo *Undecimviros*, *τοὺς ἕνδεκα*; nam illi caussis hujusmodi praeerant easque ad tribunal deferebant: conferatur Demosthenes Adv. Lacrit. l. c.: *τοιχωρύχους, καὶ κλέπτας, καὶ τοὺς ἄλλους κακούργους τοὺς ἐπὶ θανάτῳ οὗτοι (οἱ ἕνδεκα) εἰσάγουσιν* (1). » Eos qui parietes suffo» diunt, et maleficos, et alios furti capitalis reos Unde» cimviri in judicium deducunt."

(1) Voces *κλέπτας* et *κακέργυς* hic loco movendae invicemque transponendae videntur. Etenim non tantummodo *κακέργοι* Athenis proprie dicebantur fures nonnulli, neque alius generis malefici: sed praeterea quoque non omnes fures, partim duntaxat eorum, morte plectebantur: ut supra vidimus: in eoque furum graviorum numero erant cum *τοιχωρύχοι*, *qui parietes suffodissent*, tum *κακέργοι*, tum alii nonnulli, quos initio hujus Capitis ex Demosthene In Timocrat. p. 735. sq. aliisque locis enumeravimus. — Et sic expressi in versione.

Igitur quotuplex ejusmodi furti gravioris vindicandi fuerit ratio, item privatam furti actionem, Polluci VIII. s. 31. memoratam, de maximis quoque furtis datam esse, ex Demosthene vidimus: (quam actionem privatam non satis accurate Salmasius De Modo Usur. p. 130. ad minora solum furta retulit.) Neque injuria profecto, quibuscumque furtum esset factum, iisdem concessum est, ut si quidem mallent, hanc caussam apud judicem minorem agere possent; quum is qui aliter rem suam vindicaret, ipse haud exiguae pecuniae subiret periculum. Et sic quidem de furto capitali res constat.

Difficilius videtur de reliquis furtis statuere, utrum de his quoque fuerit actio publica, γραφὴ, an sola tantum actio privata. Equidem utramque datam existimem. Nam cui res quaedam esset ablata, huic profecto semper licebat eam apud judicem minorem, διαιτητὴν, (1) repetere: is judex tamen non nisi rem ipsam, caussa cognita, illi adjudicare poterat, furemque ad eam restituendam cogere: non item, puto, furi praeterea poenam irrogare poterat. Etenim jus puniendi non ad judices pertinebat ejusmodi, verum ad magistratus qui judiciis praeerant, tum vero maxime ad tribunalia. Quin ipsa poenae exactio prorsus aliena est ab actione civili, qua non nisi nostrum repetimus. Itaque hanc actionem furti, apud arbitrum, διαιτητὴν, instituendam, eamdem fere fuisse putem, quam Romani jurisconsulti *condictionem furtivam* nuncupant. Dupli poenam, item carceris, de actione publicâ intelligendam esse existimem. Et de carcere quidem diserte prodit Demosthenes In Timocrat. p. 736., eum in fures decerni a tribunali, δικαστηρίου, id est ab Heliaeâ, ut ibidem p. 733. ipsius dicitur legis verbis. Tum utrobique et dupli et carceris ita conjunctim mentio exstat, ut ejusdem legis et actionis

(1) De hujus vocis significatione infra videbimus Cap. XXVI.

alteram poenam solennem ac definitam, alteram poenae accessionem, *προστίμημα*, significari appareat (1). Quod igitur p. 736. haec vocatur *ἰδία δίκη κλοπῆς*, id non simili modo ut plerumque, ita hic quoque interpretor de actione civili privatâ, quae a publica, *τῇ γραφῇ*, distinguitur: verum hanc ipsam intelligo *γραφὴν*, quae *propria* furti actio appellatur, siquidem opponitur *ἀπαγωγῇ*, *abductioni*, caeterisque, a Solone adversus solos *κακούργους*, ut ita dicam, in furtum *qualificatum*, non item in *simplex*,! gravius et extra ordinem sancitis. Quam interpretationem cum totus contextus inde a p. 735. 20. confirmare videtur, tum locus similis p. 733. 4, modo a nobis citatus (2).

Sed quidquid sit, verba hujus loci postremo memorati jam aliam ob caussam erunt apponenda: tum quod

(1) Hac de re, quid sit *προστίμημα*, infra, hoc ipso Capite, videbimus.

(2) Eadem ratione explicandum putem quod ait Demosthenes In Mid. p. 529. 23, *ὅσοι δ'ἂν γράφωνται γραφὰς ἰδίας κατὰ τὸν νόμον*: ubi legem recitat de contumelia, *τὸν τῆς ὕβρεως νόμον*, verbisque illis significare videtur judicia de contumeliis *privatis*, *simplicibus*, *in quemcumque hominem commissis*, ut h. l. p. 736. judicia de furtis simplicibus; a quibus diversa erant judicia, cum de furtis, tum de contumeliis, quae sive quod magistratibus fierent, seu quod certis locis nonnullis quibusdamve artibus committerentur, extra ordinem gravius solebant puniri. Neque opus est ut d. l. In Mid. vel cum Reiskio in not. emendationem tentemus, vel cum eodem in Ind. *γραφὰς* de actionibus privatis interpretemur: neque item ut Taylori in not. satis duram sequamur interpretationem. De actionibus privatis hoc eo minus intelligi licet; siquidem quod ad hasce *γραφὰς ἰδίας* pertinere ait Demosthenes, ut qui eas non persequatur, aut qui, persecutus quidem, quintam suffragiorum partem non tulerit, eum mille drachmas publico solvere: idem de omnibus omnino *γραφαῖς* leges jussisse, diserte ait Demosthenes In Theocrin. p. 1323., ut porro Cap. XLI. videbimus. De privatis actionibus contra nil simile proditur.

poena furti qualis fuerit, in primis ex lege ibidem allatâ accuratius definiendum est, tum quod satis impedita sententiae videtur interpretatio. En verba. Ὅ, τι ἐάν τις ἀπολέσῃ, ἐὰν μὲν αὐτὸ λαβῇ, τὴν διπλασίαν καταδικάζειν. ἐὰν δὲ μὴ, τὴν δεκαπλασίαν πρὸς τοῖς ἐπαιτίοις. δεδέσθαι δ᾽ἐν τῇ ποδοκάκῃ τὸν πόδα πένθ᾽ ἡμέρας καὶ νύκτας ἴσας, ἐὰν προστιμήσῃ ἡ ἡλιαία. προστιμᾶσθαι δὲ τὸν βουλόμενον, ὅταν περὶ τοῦ τιμήματος ᾖ. Perspicuum est, poenas hic a legislatore constitui diversas, prout ei, cui furtum factum est, rem ipsam ablatam fur reddat aut non reddat. Sed quodnam illud est discrimen? Alibi, quantum equidem scio, hac de re nil proditur. Universe profecto notissimum est, a Solone dupli poenâ in fures vindicatum esse omnes quos non mortis damnaret. Sic vel in ipsâ hac Demosthenis Oratione, p. 736, simpliciter duplum memoratur. Item apud reliquos Scriptores qui hac de re prodiderunt, non distinguitur utrum res ipsa restituatur a fure nec ne. *Decupli*, δεκαπλασίας, poenae mentio ne quidem fit apud ipsum Aristotelem Problemat. Sect. XXIX. Q. 14 et 16: quo loco tamen insigne illud discrimen, si quidem re verâ exstitisset, omnino erat notandum: neque facile id silentio praetermisisset philosophus, qui cum Atheniensium leges optime nosset, tum hoc ipsum ibidem quaereret, quid caussae fuerit, quare mortis poenam in fures duntaxat nocturnos, item in saccularios aliosque nonnullos a nobis supra memoratos, tum quare duplum leges illae statuissent in reliquos fures. Quodsi enim Solon decuplo mulctasset eum qui quantulamcumque rem furatus esset, si modo postea, furti damnatus, eam ipsam rem domino non restituisset; profecto hujus legis ratio multo etiam magis erat aperienda, quippe quum tanti viri sapientiâ haud satis digna posset videri. Idque cum per se multum valet ut suspicemur Demosthenis verba esse

corrupta, et pro *δεκαπλασίαν* legendum esse *διπλασίαν*: quod jam censuit Heraldus Obss. ad Jus Att. et Rom. IV. 8. 2. p. 314: tum accedit grave in primis testimonium Dinarchi, duplici loco, in Oratione In Demosthenem p. 44., In Aristogitonem p. 85., diserte tradentis, reliqua delicta adversus bona commissa duplo damni dati vindicari omnia, solam *δωροδοκίαν* decuplo vindicari. Quod autem in omnibus tum editis tum scriptis libris, quos quidem Reiskius et alii contulerunt, *δεκαπλασίαν* legitur; hoc credibile est vetus mendum esse, idque exstitisse culpâ eorum, qui verba obscura *πρὸς τοῖς ἐπαιτίοις* quum minus intelligerent, ea cum Wolfio et Petito perverse interpretarentur *una cum adjutoribus, cum iis quorum ope consilioque fecit*, itaque ad omnes fures referrent. Nam quum tamen viderent, necessario aliquid interesse in poenae definitione, res furto ablata an domino restitueretur nec ne; hanc difficultatem ita profligasse sibi visi sunt, si altero loco *δεκαπλασίαν* posuissent, cum verborum similitudine inducti, tum forte magis etiam eo quod in ipsa hac Demosthenis Oratione saepius *δεκαπλασίαν* memoratam cernerent. — Quae loca, ne alios etiam turbent, aliquâ profecto animadversione opus est. Et quidem p. 738. 17. *δεκαπλασίαν* profectum est a Reiskio, ex nonnullis Codicibus ita pro vulgato *διπλασίαν* legente. P. 735. 10. sic scriptum est: *εἰ μέν τις ἀγορανόμος* (1), ἢ

(1) Harpocration: *Ἀγορανόμοι, οἱ τὰ κατὰ τὴν ἀγορὰν ὤνια διοικοῦντες ἄρχοντες:* „magistratus venalia in foro curantes," hanc ipsam Demosthenis Orationem citans. Memorantur item a Lysia Contr. Frument. p. 722, unde patet, eos omnibus rebus venalibus, *ὠνίοις*, praevidisse, solo frumento excepto, cui seorsim praefectos fuisse *σιτοφύλακας*. Porro eorum mentio exstat apud Xenophontem Anabas. V. 7, 2, 23, 29, Sympos. II. 20, (ad quem locum quaedam notavit Bachius Ind. Gr. in v.): Aristophanem Acharn. v. 723, unde videntur tres sorte creati fuisse:

ἀςυνόμος (1), ἢ δικαςὴς κατὰ δήμους (2) γενόμενος, κλοπῆς ἐν ταῖς εὐθύναις ἑάλωκεν. — τούτῳ μὲν τὴν δεκαπλασίαν εἶναι. Atqui hic non universe poena furti significatur, sed ejusmodi furti, quod simul in δωροδοκίας legem incideret, nec, si proprie quidem loquamur, semper furtum esset; nam judex certe, quum nullam pecuniae publicae seu privatae administrationem haberet, ratione muneris furtum facere non poterat: pecuniâ corrumpi poterat, quae ipsa est δωροδοκία. Omnino, magistratuum quorumdam crimina repetundarum hoc loco commemorantur; unde non valet argumentatio ad furta. Et similiter expediendus est locus p. 740. 15. de Melanopo, uno eorum in quorum gratiam Timocrates legem scripsisse perhibetur: συνέδρου (3) γενομένου, κλοπὴν αὐτοῦ τὸ

ibid. v 824. 967: Alciphronem Epist. I. 9. p. 35, ubi conferri potest Berglerus.

(1) Ex hoc item loco memorat Harpocration in v.: qui porro ex Aristotele prodit, eorum quinque in Urbe, quinque in Piraeo fuisse, eosque curam gessisse περί τε τῶν αὐλητρίδων, καὶ ψαλτριῶν, καὶ τῶν κοπρολόγων, καὶ τῶν τοιύτων. Ἀςυνόμον simpliciter memorat et Isaeus Or. I. p. 10, 8. Ἀςυνομεῖν de iisdem magistratibus usurpatur a Demosthene Prooem. p. 1461. 11., unde patet, legibus vetitum fuisse, bis hoc eodem munere fungi.

(2) Δικαςὴς κατὰ δήμυς. Libri scripti variant; nam alii habent κατὰ νόμυς, quod Wolfius praefert. Valkenarius ad Ammon. v. Τύραννον in fin.; ad Herodotum p. 210, legit δήμυς: item Reiskius, qui sic edidit, eamque lectionem, in nott. ad h. l., etiam inde confirmat, quod sic δῆμοι, *demi*, opponantur τῷ δήμῳ, *populo universo*, h. l. v. 16. memorato, itaque Demosthenes a minori concludat ad majus. De *demis* istis, quasi *tribubus* dicas, Atheniensium, singularem libellum edidit J. Meursius. Ejusdemque demi cives dicebantur δημόται: Demosthenes De Coron. p. 314. 3. Adv. Polycl. p. 1208. 5.

(3) Σύνεδρος, item συνέδριον et συνεδρεύειν, quum de varii admodum generis magistratibus ac legatis usurpentur, (cf. Reiskius Ind. Demosth. in v. v.,) neque hoc loco res ulterius significetur; vix est ut definiri possit cujusmodi munere functus sit Me-

δικαστήριον κατέγνω, καὶ δεκαπλασίαν ἀπέτισε. Restat unus locus, qui est p. 735 init., ubi Androtioni lege ferendâ gratificatum esse Timocratem, hujc ita ab Oratore exprobratur: — *ἐπειδὴ δ' Ἀνδροτίωνα ἔδει, ἃ πάλαι ὑφῄρητο τῆς πόλεως χρήματα, καταθεῖναι, τὰ μὲν ἱερὰ, τὰ δ' ὅσια, τότε θεῖναι τὸν νόμον ἐπ' ἀποστερήσει τῶν μὲν ὁσίων τῆς διπλασίας, τῶν ἱερῶν δὲ τῆς δεκαπλασίας.* In re, haud sane expeditâ, tacent omnes Interpretes. Caussam Androtionis, qui pecunias ex navi Ægyptiâ captas et populi scito publicatas ipse retinuisset, quoniam infra uberius aliquanto exponemus; nunc satis erit notasse, nullum praeterea, in hac quidem Oratione, ejusdem viri facinus memorari, quo pecunias vel sacras vel publicas surripuisset; ut certissime et eo loco significetur caussa illa Ægyptia: quod praeterea vel ex solo verborum nexu apparet. Sed alibi, cum ipse Demosthenes, tum Scholiastes in Argumento Orationis, non nisi dupli meminerunt, quod Androtion, quippe qui intra annum non solvisset, nunc jam ex legibus deberet: hic vero, pecuniae publicae duplo praeterea additur pecuniae sacrae decuplum. Putavi aliquando id ita intelligendum esse, ut Timocrati re quidem verâ nil objiciatur, nisi ipsius lege latâ fore ut Androtion, qui ex Solonis legibus duplum pendere debuisset, jam simplo solvendo sufficeret: eam autem rem sic odiose a Demosthene amplificari, quum alterum tantum totius praedae quo Timocratis lex aerarium fraudaret, idem simul esset decuplum istius partis decimae quae ab initio ad Minervae Quaestores fuisset deferenda. Ergo etiam p. 738. 17. cum Reiskio legendum esset *δεκαπλασίαν.* — Verum jam alia eaque majoris momenti nascitur quaestio, quo-

lanopus. Saepissime, nec tamen perpetuo, *συνέδριον* eadem dicitur *παρεδρία: σύνεδροι* iidem *πάρεδροι:* de quibus supra quaedam notavimus, Cap. II. p. 11 sq. not.

nam modo interpretari oporteat verba πρὸς τοῖς ἐπαιτίοις, in lege furti supra ex Demosthene In Timocrat. p. 733. apposita. De Wolfii et Petiti perversa interpretatione verbo monuimus. Nam iisdem, quibus ipsos fures, poenis, eorum socios quoque teneri, certum est: ac, ne alios excitemus, testis est Lysias Orat. XXIX. p. 832. fin.: item conferri possunt Wesselingius ad Petit. p. 637, not. 2.: Taylorus Lect. Lysiac. p. 324. R. Sed hujus rei notatio a loco Demosthenis aliena est: verbisque iis, πρὸς τοῖς ἐπαιτίοις, procul dubio continetur poenae accessio, si res ablata non sit reddita. Hoc item animadvertit Pollux VIII. s. 22., ubi hunc locum, ut videtur, respiciens, ita ait: Τὰ μέντοι προςτιμήματα Σόλων ἐπαίτια καλεῖ. Pollucem secuti sunt Heraldus Observ. III. 3. ac Taylorus ad Demosthenem d. l. p. 733. R., verbaque ea sic intelligunt, ut significetur poena extraordinaria carceris, quam judices, si quidem ipsis ita videretur, furi irrogare possent ex eadem hac lege. Atqui pace tantorum virorum dixerim, ne haec quidem interpretatio admittenda est. Nam quod supra monuimus, quam alienum fuisset a Solonis prudentia, furem, qui rem ipsam reddat, duplo, qui non reddat, decuplo puniri: eadem ratio haud minus valet, si utrumque duplo quidem mulctari statuamus: quomodo statuendum esse vidimus: non autem nisi eum a quo res ipsa non restituatur, existimemus vinculorum ignominiâ affici potuisse. Et sic tamen sentiit Heraldus. Quamquam diserte repugnat ipse Demosthenes, l. c. p. 732. 19: imo repugnant ejusdem hujus legis verba quae mox p. 733. sequuntur, et in quibus satis manifesto tamquam singillatim ad omnia furta pertinentis mentio carceris exstat: quod ipsum mox animadvertemus. Aliam hujus loci interpretandi viam secutus est Reiskius, qui πρὸς τοῖς ἐπαιτίοις vertit *praeter illam rem de qua contenditur.* Ve-

rum ne hoc quidem satis placet, neque saltem ea versio hoc loco admodum perspicua est. Fortasse optimum sit ita reddidisse: *praeter ea quae in caussa sunt:* ut nostri jurisconsulti aiunt, *praeter id quod interest*, id est, praeter id quod interest domini, rem ablatam non ipsam ei redditam esse. Quae quidem interpretatio, haud minus, quam quas antea memoravimus, rationi grammaticae convenire, tum vero sensum planum et idoneum praebere videtur.

Jam si quis furti esset damnatus, eique lis morte non aestimata esset, huic prodit Demosthenes In Timocrat. p. 732. 19. Solonis legem προςτιμᾷν δεσμόν. Etenim in ea delicta, in quae leges certam ipsae poenam, τίμημα, statuerant, saepius eaedem addebant πρόςτιμημα, id est poenam quasi accessoriam, quam judices, prout ipsis videretur, vel irrogare possent, vel remittere. Cujusmodi, in furti lege, poena erat carceris: ut ex ipsis legis verbis, a Demosthene ibid. p. 733. allatis, jam supra vidimus (1): quibuscum conferendus est idem Demosthenes p. 736. 11. sqq., de eadem furti poena loquens: tum Lysias In Theomnest. p. 356. sq., hanc ex lege Solonis particulam apponens: δεδέσθαι δ' ἐν τῇ ποδοκάκκῃ ἡμέρας πέντε τὸν πόδα, ἐὰν [μὴ] προςτιμήσῃ ἡ ἡλιαία: quo loco, quidquid Reiskius dicat, vocula μὴ certissime vel simpliciter ejicienda, vel in μὲν mutanda est: postremum fecit Taylorus: vertendumque igitur hac ratione: »ligari vero in vinculis dies quinque pedem, »si hoc poenae insuper addiderit Heliaea." Eodemque sensu, de carcere, verum magis universe in qualescum-

(1) Huc item respicere puto Aristophanem Nub. v. 591. sq.

Ἢν Κλέωνα, τὸν λάρον, δώρων ἑλόντες καὶ κλοπῆς,
Εἶτα φιμώσητε τούτου τῷ ξύλῳ τὴν αὐχένα· κ. τ. λ.

»Si Cleonem, avarum illum, munerum acceptorum et furti damnaveritis,
»Deinde ligno constrinxeritis ei collum:" caet.

que aerarii debitores, ὀφείλοντας τῷ δημοσίῳ, statuendo, alius legis verba exstant apud Demosthenem ibid. p. 712. 20. sq. De pecunia extra ordinem in aerarium inferenda, προςτιμᾷν quoque usurpatur a Demosthene In Mid. p. 528. 13 et 18: In Euerg. et Mnesibul. p. 1152. 16. Προςτιμᾷν τὰς βλάβας, idem ait, In Mid. p. 571. ult., hac quidem vi, praeter poenam solennem, *damna* etiam vel *impensas forenses* esse restituendas. Et hac ipsâ, de qua antea diximus, significatione, apud Demosthenem In Timocrat. p. 700. 16. accipiam προςτίμημα, quod minus recte de mulcta quacumque interpretari videtur Reiskius in Indice. Ut vero προςτιμῆσαι dicuntur judices qui poenam ejusmodi extra ordinem infligunt: quod modo, praesertim ex Lysia, vidimus: ita ex Demosthene l. c. p. 733. 8. docemur, προςτιμᾶσθαι, in medio, usurpari de eo qui judices rogat ut illud faciant: de quo haec quidem lex jusserat, *id rogare quicumque vellet*, προςτιμᾶσθαι τὸν βουλόμενον.

Itaque lex illa, apud Demosthenem In Timocrat. p. 733. 4., sic reddenda videtur: »Si quis aliquid furto amiserit, si quidem illud ipsum receperit, in duplum agitor: sin minus receperit, in duplum praeter id quod intersit (rem redditam non esse). (Fur) pede in vinculis tenetor quinque dies et totidem noctes, si Heliaea hoc poenae insuper addat. Hanc poenae accessionem roget cuicumque libuerit, quando de poenae aestimatione agetur."

Scilicet Solon, ut fere verbis utamur Demosthenis In Timocrat. p. 736., existimavit oportere eum qui aliena abstulisset, non iis reddendis liberari: verum haec quidem dupla ab eo solvi, tum, praeter poenam illam, ipsum, in vincula conjectum, porro in dedecore et ignominia reliquam vivere vitam. Quae Demosthenis verba si conjungamus cum illis Andocidis supra adductis, qui-

bus inter ἀτίμους recenset, ὁπόσοι κλοπῆς ὄφλοιεν; jam ita statuendum videtur, omnes qui furti damnati essent ab Heliaeâ, sive in carcerem quoque essent conjecti, sin minus, semper tamen ἀτίμους fuisse.

Et vero notari omnino oportet quod addit Andocides p. 35. 20., postquam de ἀτιμίᾳ dixisset eorum qui *furti* essent damnati vel δώρων: τούτους ἔδει, καὶ αὐτοὺς καὶ τοὺς ἐκ τούτων, ἀτίμους εἶναι: »hos oportebat, et ipsos »et eorum posteros, infames esse." De his enim duntaxat, de *furibus* et *δώρων damnatis*, ut ea verba accipiamus, non item ea referamus ad alius generis ἀτίμους qui porro sequuntur, non modo id necessario postulare videtur nexus verborum, res ipsa confirmat. Illud haud dubium est, infamiam delicti militaris, item mala etractationis parentum, non ad posteros transiisse. Contra obtinuisse in furto, tum in δώρων γραφῇ, (de quo proximo Capite), per se quidem ipsum, rationeque habita delictorum, minime illud a veri similitudine abhorret. Licet ergo, quod *furtum* attinet, de ea re proditum alibi non novimus, credendum utique putamus Andocidi affirmanti: eoque magis propterea, quod, ut mox videbimus, de δωροδοκίᾳ et aliunde constet certissime.

CAPUT XI.

Δωροδοκία. Δεκάζειν. Poena hujus criminis.

Ergo furibus, qui ipsi cum posteris essent infames, bona tamen servarent sibique haberent, hos porro adjungit Andocides De Myst. p. 35., ὁπόσοι δώρων ὄφλοιεν, » quicumque sint damnati donorum." Similiterque, δώρων αἵρειν, » donorum damnari," de Cleone illo, de quo supra exposuimus, dixit Aristophanes Nub. v. 591. Ipsa actio, ἡ τῶν δώρων γραφή, memoratur et saepius alibi, et ab Æschine In Ctesiphont. p. 625: Harpocratione v. δώρων γραφή. Quod bifariam intelligendum est, cum de iis qui donis alios corrumperent, tum de his ipsis qui se donis corrumpi sinerent. Lex enim ad utrosque eorum pertinebat: teste Demosthene In Mid. p. 551., ubi hisce verbis refert τὸν περὶ τῶν δωρεῶν νόμον, *legem de donis*: (sic enim vocat p. 550. 1.) Ἐάν τις Ἀθηναίων λαμβάνῃ παρά τινος, ἢ αὐτὸς διδῷ ἑτέρῳ, ἢ διαφθείρῃ τινὰς ἐπαγγελλόμενος, ἐπὶ βλάβῃ τοῦ δήμου, καὶ ἰδίᾳ τινὸς τῶν πολιτῶν, τρόπῳ ἢ μηχανῇ ᾑτινιοῦν, ἄτιμος ἔσω καὶ παῖδες καὶ τὰ ἐκείνου. » Si quis Atheniensium accipiat (dona) ab altero, vel ipse det alteri, vel corrumpat quosdam pollicitis, damno civitatis, privatimve cujusdam civium, » modo vel machinatione qualicumque, infamis esto (et » ipse) et liberi et bona ejus." Et eamdem quidem le-

gem cum ad dona dantem tum ad accipientem pertinuisse, manifestum id quoque est ex alio ejusdem Demosthenis loco, quem ex ipsius Oratione in Stephanum II. p. 1137. pr. nunc porro apponemus; nam is rem in primis illustrat, et vero, quamquam a priori illo paullulum diversus, item tamen legis verba continere ab ipso Demosthene dicitur. Ἐάν τις συνίστηται, ἢ συνδεκάζῃ τὴν ἡλιαίαν, ἢ τῶν δικαστηρίων τι τῶν Ἀθήνησιν, ἢ τὴν βουλὴν, ἐπὶ δωροδοκίᾳ χρήματα διδοὺς ἢ δεχόμενος, ἢ ἑταιρίαν συνίστῃ ἐπὶ καταλύσει τοῦ δήμου, ἢ συνήγορος ὢν λαμβάνῃ τὰ χρήματα ἐπὶ ταῖς δίκαις ταῖς ἰδίαις, ἢ δημοσίαις, τούτων εἶναι τὰς γραφὰς πρὸς τοὺς θεσμοθέτας. »Si »quis conspiret, vel corrumpat Heliaeam, vel quoddam »tribunalium Athenis, vel Senatum, largitione pecunias »dans vel accipiens, vel sodalitium contrahat ad per»niciem populi, vel caussarum patrocinium agens acci»piat pecunias pro caussis privatis vel publicis, horum »esse accusationes apud Thesmothetas." Ex utroque igitur apparet loco, teneri hac lege omnes, qui quidquam publicae rei capessentes munereve fungentes, dona cepissent, porro largitores qui dedissent. Itaque et duplici hoc sensu dicitur δωροδόκος, item δωροδοκεῖν et δωροδοκία, (quae ipsa est δώρων γραφή: Harpocration l. c.): de quorum verborum ratione conferendus est Toupius ad Longinum p. 238. sq: de significatione, Ruhnkenius ad Timaeum v. Δωροδόκοι: addi possunt loca, a Ruhnkenio non adducta, Demosthenis In Stephan. II. p. 1137. 3: ἐπὶ δωροδοκίᾳ χρήματα διδοὺς, ἢ δεχόμενος: (quae verba modo attulimus): Scholiastis ad Aristophan. Equit. v. 831: δωροδοκεῖν δὲ, οὐ μόνον τὸ δῶρα διδόναι καὶ ἀναπείθειν, ἀλλὰ καὶ τὸ λαμβάνειν: »δωροδοκεῖν vero, non »tantum dona dare et corrumpere, sed etiam accipere:" Ammonii in v. Δωροδοκία, ἥ τε δόσις τῶν δώρων καὶ ἡ λῆψις: »δωροδοκία, et datio munerum et acceptio." Ex-

quisitius etiam est, quod ipsum aurum, judici ad corrumpendum datum, τὸ δεδωροδοκημένον χρυσίον vocat Dinarchus In Demosth. p. 48. 19. Rarissime tamen, notante Ruhnkenio, δωροδοκεῖν conjunctaque verba usurpantur de largitoribus. Hi enim magis dicuntur δεκάζειν, verbo hac in re proprio, cujus vis ex Atheniensium institutis explicanda est. Nam postquam a demagogis certum salarium judicibus Heliastis constitutum esset, hoc iis distribui solebat decem simul deinceps congregatis, singulis pro singulis dicasteriis: indeque Prytanes mercedem distribuentes, δεκάζειν: judices accipientes, δεκάζεσθαι dicebantur: cf. Pollux VIII. 121: Harpocration v. δεκάζειν: Ruhnkenius ad Timaeum v. δεκάζει. Vox deinde ad turpes largitiones translata: quibus quidem plerumque id agebant ut corrumperent judices. Sic v. g. apud Æschinem In Timarch. p. 110, is qui largitione corrumpit, dicitur δεκάζειν: corruptus, δεκάζεσθαι. Item apud Isocratem, De Pace, p. 169. D., (quem locum et postea adducemus,) de hoc crimine scriptum est, ἄν τις ἁλῷ δεκάζων. Ubi Augerius, in sua editione Isocratis Tom. II. p. 204., rejectâ scilicet, tamquam nimis obscurâ, illâ Harpocrationis explicatione, vocabulum δεκάζειν hinc ortum esse narrat, »quod rei, » caussae suae diffidentes, decimam controversae pecu- » niae partem judicibus promittere solebant, si secun- » dum ipsos pronunciassent: indeque translatum ad quam- » vis largitionem et corruptelam." Quibusnam testimoniis haec doctrina confirmetur, non addit Augerius. Nobis profecto magis placet ea, quam modo cum ex Harpocratione, tum ex aliis exposuimus Scriptoribus. Atqui jam ad rem praesentem redeamus. Simili igitur sensu, apud Demosthenem In Stephan. II. p. 1137. 1, eo ipso loco antea jam citato, scriptum est: Ἐάν τις συνδεκάζῃ τὴν ἡλιαίαν, ἢ τῶν δικαστηρίων τι τῶν Ἀθήνησιν,

ἢ τὴν βουλὴν· ubi συνδεκάζειν propterea poni videtur, quia plerumque plures simul hoc facinus solent aggredi: eadem ratione, qua pro simplici καταλύειν, apud Andocidem De Myster. p. 51. pr. συγκαταλύειν τὸν δῆμον dici vidimus, supra, Cap. VI. p. 45. Alià porro significatione ἐνδεκάζειν usurpatur ab eodem Demosthene In Theocrin. p. 1335. 7: τοῖς αὐτοῖς τούτοις ἐνδεκάζοντας, καὶ τῶν αὐτῶν ἱερῶν κοινωνοῦντας· cui loco, ab Harpocratione et a Suida allato, ab iisdem additur: ἑνεορτάζοντας, τὴν δεκάτην ἐν τῷ αὐτῷ ἄγοντας. In eàque scriptione, ἐνδεκάζοντας, a Wolfio et a Tayloro ad h. l. tentatâ, acquiescendum putat Reiskius, motus praesertim Grammaticorum illorum veterum auctoritate: caeterum addens, in istiusmodi verbis et dictis proverbialibus non strictissime observari solere analogiam grammaticam, secundum quam utique melius convenire συνδεκατίζειν. Ergo, post Harpocrationem et Suidam, item Reiskius, cum in notis ad h. l., tum in Ind., exponit, *una cum alio eamdem decuriam*, i. e. collegium, societatem, sodalitium, *frequentare: festos, laetos dies agitare: compotare*; ut locus Demosthenis sic fere reddendus sit: » una cum » his ipsis sodalitium frequentantes, eorumdemque sa- » crorum participes." Sed haec quidem hactenus. Primus Athenis judices corrupisse perhibetur Anytus Anthemionis filius, bello Peloponnesio jam ad finem vergente: ut narrat Plutarchus Coriol. p. 220. B., et ex eo Harpocration l. c.: qua de re item conferendi sunt Ruhnkenius l. c., Petitus ad Legg. Attic. p. 427, ibique Salvinus et Dukerus in nott. Caeterum Pollux, VIII. 42., de hoc usu verborum δεκάζειν et δεκάζεσθαι exponens, addit, actionem contra judicem corruptum, δώρων: contra corruptorem, δεκασμοῦ esse appellatam. Ibidemque, tum apud Lucianum Dialog. Deor. XX. § 12, Tom. II. p. 263., judices qui se donis corrumpi patiuntur, ἐπὶ

δώροις δικάζειν· magis etiam ipsius legis verbis *χρήματα λαμβάνειν* dicuntur a Demosthene, loco illo supra adducto, In Stephan. II. p. 1137: tum *δῶρα λαμβάνειν*, ab eodem Demosthene De Fals. Leg. p. 343. 9: 'Ο *μέντοι τὸν νόμον τιθεὶς, ἁπλῶς εἶπε, μηδαμῶς δῶρα λαμβάνειν*: ubi legislator *ἁπλῶς* dixisse dicitur id quod *simpliciter*, *praecise*, *disertis verbis sine ulla exceptione* constituit: ut recte hoc explicat Reiskius in Indice: » Is quidem qui legem posuit, simpliciter dixit, nequaquam dona accipere." Res ponditur item a Dinarcho In Demosth. p. 10, 12. In Aristogit. p. 85. Et apud eumdem Dinarchum In Demosth. p. 70, (ut apud Demosthenem In Mid. p. 551, cujus verba initio hujus Capitis attulimus,) hac ipsâ vi nude ac simpliciter ponitur *λαμβάνειν*: cui, a Dinarcho, additur passivum *ληφθῆναι*, i. e. *deprehendi in scelere*. Quae eâdem significatione junguntur ibid p. 32. 7. *εἰλημμένοι δῶρα καθ' ὑμῶν εἰληφότες*. Magis distincte ait Dinarchus ibid, p. 21 fin. et 22: *εἰλημμένον ἐπαυτοφώρῳ δῶρα ἔχοντα*: ubi *εἰλημμένος ἐπαυτοφώρῳ*, hoc loco, alibique saepius, et in hac quidem Oratione p. 55. 3, est *in ipso scelere deprehensus*: (veluti *κλέπτης ἐπ' αὐτοφώρῳ* similiter usurpatur a Demosthene In Stephan. I. p. 1125 fin. sq., ut supra vidimus Cap. X. p. 67.) *δῶρα ἔχειν* vocatur, quod *δῶρα λαμβάνειν* locis iis quae antea spectavimus. Siquidem autem judices corrumpuntur *ob sententiam dandam*; hinc eo sensu plenius quoque de ipsis ait Longinus De Sublimit. Sect. 44. p. 102, eos *ἐπὶ κρίσει δεκασθῆναι*, ad quae verba conferendae sunt animadversiones, cum Ruhnkenii p. 152, tum Toupii p. 238.

Et vero hujus *δωροδοκίας*, quippe frequentis Athenis, ita frequens exstat mentio apud eos, quos hodieque habemus, superstites, ipsorum scriptores, potissimum apud Aristophanem, qui hoc tum aliis objicit, tum frequen-

ter Cleoni illi exprobrat, veluti Equit. v. 66 et v. 831: Nub. v. 591. Et de hac ipsa δωροδοκίᾳ, moribusque Graecorum suâ aetate plus etiam quam antea corruptis, gravem in primis, licet in re notâ, testem habemus Polybium VI. 54: E. L. 6.

Magis autem de crimine, quam de poena Athenis in crimen statuta, constat. Nam quod supra ab Andocide traditum vidimus, damnatos ipsos quidem cum posteris ἀτίμους factos, bona tamen iis servata: contra legimus apud Demosthenem In Mid. p. 551, loco quem jam ante attulimus, idque ipsius legis verbis, reos damnatos cum liberis ἀτίμους, bona quoque eorum ἄτιμα, id est publicata, fuisse. Idemque colligendum videtur ex Lysiae Oratione XXI., scripta nomine viri ejusmodi qui dona accepisse diceretur, quique in fine hujus luculentae orationis, p. 710, non tantum de ἀτιμίᾳ queritur, sed item de amissione bonorum ac paupertate inde sibi imminente: sibi enim acerbum, judicibus turpe fore pronunciat, εἰ ἀναγκασθησόμεθα ἐπὶ τοιαύταις αἰτίαις ἄτιμοι γενέσθαι, ἢ στερηθέντες τῶν ὑπαρχόντων, πένητες εἶναι, καὶ πολλῶν ἐνδεεῖς ὄντες περιιέναι: »si cogamur ob tales caus-»sas infames fieri, vel orbati bonis, pauperes esse, et »multarum rerum indigentes circumire." Æschines quidem, eo ipso, quem supra significavimus, loco, In Ctesiph. p. 625: ἐν τοῖς δικαστηρίοις, inquit, τὰς τῶν δώρων γραφὰς ἁλισκομένους ἀτιμοῦτε: »in tribunalibus, »munerum acceptorum accusationibus damnatos notatis »infamia:" itaque simpliciter memorat ἀτιμίαν, nec tamen reliquas poenas excludit. At vero Ulpianus, in Commentario ad illa ipsa Demosthenis verba, antea a nobis jam saepius allata, In Mid. p. 551., is igitur Ulpianus p. 621, sic ait: οὐκ εὖ ὁ πρὸς ἀμφότερα χρήσιμος ἡ ἀνάγνωσις τοῦ νόμου, διὸ ἐκ θανάτου τῆς τιμίας ὡρισμένης κατὰ τῶν διαφθειρόντων. Et longe superior et aetate et

auctoritate Isocrates, De Pace p. 169. D., ad Athenienses loquens, diserte mortem tamquam hujus criminis poenam memorat: *θανάτου τῆς ζημίας ἐπικειμένης, ἥν τις ἁλῷ δεκάζων:* »mortis poena statuta, si quis damnetur »tamquam judices pecuniâ corrumpens." Plutarchus item, Pelopid. p. 294 D—F., Timagoram, qui legatus Atheniensium ad Artaxerxem fuisset, reducem a civibus damnatum esse narrat et necatum: idque ipsum, re quidem verâ injuste factum, attamen recte et jure fieri potuisse ait, si scilicet hunc virum ob dona ipsi data ab eoque accepta cives interfecissent. Profecto Ulpianum l. c. reprehendit Petitus Comm. p. 529., poenam non mortis, verum *ἀτιμίας*, lege constitutam esse referens: ipse vicissim reprehensus a Krebsio De Stelit. Athen. p. 54., qui nimirum existimare videtur, *ἄτιμον* hic apud Demosthenem esse *ἀτιμώρητον*, *qui ab unoquoque impune occidi possit:* adeoque Ulpianum id bene interpretatum esse. Nec vero istâ Ulpiani reprehensione, neque ejusdem defensione, magnopere indigemus. Etenim, ut modo vidimus, praeter Ulpianum, duos habemus ipso multum graviores ejusdem rei testes, Isocratem inquam et Plutarchum, similiter referentes, legibus Atheniensium poenam *δωροδοκίας* mortem esse statutam. Magis appositum erit citasse locum insignem Dinarchi, quem supra verbo jam significavimus, nunc vero, quia rem quodammodo dirimere videtur, porro integrum hic apponemus. Igitur Dinarchus In Demosth. p. 44. sic ait: *Ἀλλ' οἱ νόμοι περὶ μὲν τῶν ἄλλων ἀδικημάτων τῶν εἰς ἀργυρίου λόγον ἀνηκόντων διπλῆν τὴν βλάβην ὀφείλειν κελεύουσι· περὶ δὲ τῶν δωροδοκούντων δύο μόνον τιμήματα πεποιήκασιν, ἢ θάνατον, ἵνα ταύτης τυχὼν τῆς ζημίας ὁ λαβὼν, παράδειγμα γένηται τοῖς ἄλλοις· ἢ δεκαπλοῦν τοῦ ἐξ ἀρχῆς λήμματος τὸ τίμημα τῶν δώρων· ἵνα μὴ λυσιτελὲς ᾖ τοῖς τοῦτο τολμῶσι ποιεῖν.* »Sed leges de aliis quidem criminibus ad

» pecuniae rationem pertinentibus duplum damnum debe» re jubent: de pecuniâ corruptis vero duas tantum » poenas statuerunt, vel mortem, ut hac poena affectus » is qui dona accepit, exemplum fiat reliquis: vel de» cuplam ejus quod initio acceptum est aestimationem » largitionis, ut ne utile sit hoc facere audentibus." In cujus loci auctoritate omnino acquiescendum esse existimamus, itaque statuendum, legibus Atheniensium hoc crimen bifariam punitum fuisse, vel morte, vel pecuniae datae decuplo; ut tamen, etiamsi reus, decupli damnatus, id deinceps solvisset, itaque non amplius aerarii publici debitor remaneret, ipse tamen cum liberis infamis maneret. (1). Hoc enim loca initio hujus Capitis adducta ostendere videntur. Eamdem quidem, de qua modo vidimus, *decupli* poenam memorat idem Dinarchus In Aristogit. p. 85., primos Atheniensium legislatores narrans ita statuisse de iis qui ad populum dicerent: *Πρῶτον μὲν καθ' ἑκάστην δημοσίᾳ ἀρὰς ποιούμενοι κατὰ τῶν πονηρῶν, εἴ τις δῶρα λαμβάνων, μετὰ ταῦτα λέγῃ καὶ γινώσκῃ περὶ τῶν πραγμάτων, ἐξώλη τοῦτον εἶναι, — ἔπειτ' ἐν βωμοῖς* (1) *δώρων γραφὰς ποιήσαντες,*

(1) Haud dissimilis est sententia Meieri: Hist. J. Att. de Bon. damnat. p 122.

(2) Vitium hoc loco esse videtur in verbis *ἐν βωμοῖς*: pro quibus Reiskius ad h. l. et in Ind. legi vult *ἀζημίυς* (vel *ἀνεπιζημίυς*) *τὰς δ. γ.*; ut sensus sit: *actiones δώρων voluerunt exemtas esse a mulctâ actori alias pendendâ si caussâ cecidisset nec quintam suffragiorum partem tulisset.* Atqui haec correctio ferri nequit: discrte proditur contrarium ab Harpocratione v. *Δώρων γραφή*: *Ἰστέον ὅτι ἐάν τις γραψάμενος μὴ μεταλάβῃ τὸ πέμπτον μέρος τῶν ψήφων, ὀφλισκάνει χιλίας, καὶ πρόεστιν ἀτιμία τις.* » Sciendum quod si quis accusationem instituens non consequatur quin» tam partem suffragiorum, mulctam debet mille drachmarum, et » adest quaedam infamia." Verba ista de quibus diximus, hic ejicienda esse, satis perspicuum videtur; et vero *γραφὰς ποιεῖν* ita

καὶ κατὰ μόνου τούτου τῶν ἀδικημάτων δεκαπλασίαν ἐπιτιθέντες τοῦ τιμήματος τὴν ἔκτισιν· ἡγούμενοι τὸν τιμὴν λαμβάνοντα τῶν ἐν τῷ δήμῳ ῥηθήσεσθαι μελλόντων λόγων, τοῦτον οὐχ ὑπὲρ τῶν τοῦ δήμου βελτίστων, ἀλλ᾽ ὑπὲρ τῶν τοῖς δοῦσι συμφερόντων δημηγορεῖν. »Primum quidem in »singula concione publice diras facientes contra sce- »lestos, si quis dona accipiens, postea dicat et cognos- »cat de rebus, exsecrabilem eum esse, — deinde lar- »gitionis actiones facientes, et adversus solum hoc fa- »cinorum decuplam imponentes aestimationis poenam: »rati eum qui pretium accipiat pro sermonibus in po- »pulo dicendis, hunc non de iis quae optima sint po- »pulo, sed de iis quae largitoribus conveniant, senten- »tiam prodere." Et Cleonem illum, jam saepius nobis memoratum, tum vero Demosthenem. hujus criminis reos, pecuniâ mulctatos fuisse, probabiliter demonstrat Boekhius Tom. I. p. 412 fin. sqq.

Et ex hac ipsa *decupli* poena, utpote immensa, aliasque poenas pecuniarias, illas quoque in furtum statutas, longe superanti, ex ea ipsa, imquam, explicandas putem vehementes istas apud Lysiam querelas de paupertate quae inde familiam damnati invaderet. Locus quidem Demosthenis In Mid. p. 551, in initio Capitis appositus, non

absolute dici, apparet cum aliunde, tum exemplo Demosthenis In Stephan. II. p. 1136 ult. Fortasse verba ἐν βωμοῖς tantum loco mota sint, et transponenda ad illa, δημοσίᾳ ἀρὰς ποιούμενοι, hoc sensu, *publice* AD ALTARIA *devotiones facientes* caet. De quibus devotionibus, a praecone factis quoties vel populus vel senatus convocaretur, conferri possunt Demosthenes De Fals. Legat. p. 363: Petitus Comm. ad Legg. Att. III. 1. n. 4 en 5 p. 288 sqq.: tum inprimis legantur Scholia ad Aeschinis Orationem in Timarchum p. 48. 11, Oratt. Gr. Vol. III. p. 724. sq.; quae nostram conjecturam confirmare videntur. — Et profecto ejusmodi βωμὸς in Senatu Quingentorum fuisse, iisque ramos supplicatorius impositos, tradit et Andocides De Myster. p. 56.

mulctam, quamvis majorem, sed publicationem utique videatur significare. Sed tenendum est, viros esse doctos qui contendant, locos ejusmodi, ubi ipsa legis verba adferri dicuntur, non ab ipsis Oratoribus eos esse profectos, verum a descriptoribus, Oratorum verba sic illustrare studentibus. Quae conjectura, minime a veri similitudine abhorrens, citationibus istis multum omnino detraheret auctoritatis. Praeterea locus Demosthenis, ubi de bonis damnati non ita de industria agitur, fieri potest, ut non integra legis verba contineat, postremaque ibidem sint omissa.

Id quidem ex hoc eodem Demosthenis loco certissime constat, *ἀτιμίαν* damnati ad filios transiisse: *ἄτιμος ἔστω καὶ παῖδες*. Confirmat Andocides, idem tradens Myst. p. 35. 20: vidimus illud ad finem Capitis proxime superioris.

CAPUT XII.

Delicta militum. Ætas militaris. Militiae genera. ϛρατεία ἐν τοῖς Ἐπωνύμοις: ϛρατεία ἐν τοῖς μέρεσι. Κατάλογος, album militare. Jusjurandum.

Si quod est delictorum genus, quibus ipsa natura quamdam inuri velit infamiam, profecto sunt ejusmodi, quae ab ignavia ac timiditate proficiscantur eorum, a quorum constantia et fortitudine communis patriae salus pendet. Itaque et antiquissimi Ægyptii in illos qui militiae ordines deseruissent vel decretis imperatorum non paruissent, ita animadverterunt, ut iis maximam inferrent infamiam. Quodsi postea, strenua fortitudine usi, famam re et factis recuperassent, ipsa quoque lex eos in integrum restitui jubebat et pristinae reddebat παῤῥησίᾳ. Sic quidem prodit Diodorus Siculus I. 78. p. 89. Ergo legislator, animadvertente eodem Diodoro l. c., cum infamiam morte graviorem poenam constituit, ut omnes maximum malum esse judicarent turpitudinem: tum id quoque censuit, morte mulctatos nihil prorsus civitatem juvare: contra, multa egregia esse exspectanda ab iis, qui infamiam suam virtute delere eaque ratione statum recuperare possent. Similiter postea Charondas, nullam rem, magis quam fortitudinem, virorum propriam esse arbitratus, id ipso declaravit poenae genere quo adfecit illos qui ex acie aufugissent vel omnino recusassent arma

pro patriae salute ferre. Hos enim triduum in foro sedere jussit muliebribus indutos vestibus. Qua lege et animi mansuetudinem ostendit Charondas, et id ipsum, quod voluit, assecutus est, ut metu ignominiae, specie quidem levis, re ipsa autem acerbissimae, viros maxime licet imbelles et effeminatos ad constantiam incitaret atque audaciam: praesertim quum poenae illius damnatos ad futuras belli necessitates in primis reservaret, turpem istam maculam omni conatu eluituros. Et sic narrat idem Diodorus Siculus XII. 16. p. 488.

Verum ad Athenienses veniamus, quorum ipsorum leges de militia latae partim forte ab Ægyptiis repetendae sint: quamquam videntur multo fuisse duriores. Primum, quo melius delicta militum, poenis a Solone sancita, cujusmodi fuerint cognoscatur, pauca de re dicamus militari Atheniensium. Igitur omnes cives, ab anno duodevigesimo usque ad annum, ut videtur, sexagesimum, aetate censebantur militari, et si res postularet, arma ferre debebant (1). Neque tamen hoc nisi extremâ fiebat rei publicae necessitate. Plerumque enim, si exer-

(1) Hac de re conferendus est Wesselingius ad Petit. VIII. 1 § 1 p. 756 in Not.: tum vero in primis Taylorus ad Lysiae Orat. In Andocid. not. 36. p. 244 sqq. B. Nam quum antea fere omnes viri docti censuissent, ad annum usque aetatis quadragesimum Athenienses militasse, Taylorus satis probabiliter demonstrat, sexaginta demum annorum senes vacationem a militia habuisse. Et jam ita senserat Palmerius ad Æschin. De Fals. Legat. not. 62. p. 332. Quamquam fortasse fatendum sit, aetatem militarem Atheniensium non semper eamdem fuisse, neque omnes leges eam ab anno duodevigesimo ad sexagesimum definivisse. Aliquoties certe, quum expeditio decerneretur, eodem hoc populiscito edicebatur cujusnam aetatis cives exituri essent: veluti refertur apud Demosthenem Olynth. III. p. 29., populum Atheniensium jussisse, quadraginta triremes instruendas, virosque usque ad quadragesimum quintum annum imponendos. Caeterum apud Xenophontem Hist. Gr. V. 4. 13., Agesilaus quoque, Spartae Rex, se ab expeditione adversus Theba-

citus in expeditionem educendus vel omnino ad belli usus esset conscribendus, psephismate cautum esse videtur, quorumnam annorum cives militare necesse foret ex iis qui legitima essent aetate. Quorum illi qui nondum ex ephebis excessissent, id est qui nondum viginti annos implessent, intra fines duntaxat regionis Atticae in praesidiis collocabantur, neque cum caeteris in bellum proficiscebantur: indeque etiam nomen eorum venit, τῶν περιπόλων (1). Caeterum, siquidem unusquisque duodevigesimum annum agens quum in militaribus tabulis inscriberetur, ipsius nomini item addebatur nomen Archontis Eponymi illius anni: eaque omnino ratio annos numerandi invaluerat Athenis, ut eos Archontum illorum nominibus significarent: unde ipsa fluxit appellatio *Eponymi*; hinc eodem modo designari solebant cives ex quibus exercitus conscribendus esset, id est ita ut promulgaretur nomen Archontis Eponymi quo ipsi in militares tabulas fuissent relati. Et hoc est quod Harpocration v. Ἐπώνυμοι memorat duo et quadraginta Eponymos; etenim tot annis constabat aetas militaris, a duodevigesimo usque ad sexagesimum. Similiter Etymologus Magnus in v., auctore Harpocratione, duplicis generis Eponymos distinguens, eorumque alterutros numero duos et quadraginta fuisse referens, hos porro definit τοὺς

nos obeunda excuset, quod jam ante quadraginta annos e pubertate excessisset, neque hujus aetatis viris necesse esset extra patriae fines militare. Quo loco mihi quidem videtur non peculiaris Lacedaemoniorum lex, sed potius commune Graecorum omnium institutum significari. De Lacedaemoniis conferri potest Xenophon ibid. VI. 4. 17.

(1) Cf. Æschines De Fals. Leg. p. 330: Pollux VIII. 9.

(2) Nam ita proprie dicebantur qui aetate essent militari, οἱ ἐν ἡλικίᾳ ὄντες: cf. v. c. Xenophon Hist. Gr. I. 6 § 17: sive οἱ ἐν ταῖς ἡλικίαις: Polybius II. 23: 55 : IV. 9: VI. 19, ubi mox iidem vocantur οἱ στρατεύσιμοι.

λεγόμενους τῶν ἡλικιῶν (2), οἱ καλοῦνται τῆς λήξεως Ἐπώνυμοι, »dictos aetatum (Eponymos), qui vocantur Epo»nymi *delectus militaris*:" unde, ut postea videbimus, τὸ ληξιαρχικὸν γραμματεῖον nuncupatur *album militare*, apud Lycurgum In Leocrat. p. 189.

Longe ab his Eponymis diversi sunt Eponymi illi, ibidem ab Etymologo memorati, decem numero, (postea duodecim, aucto Tribuum numero,) heroës antiquissimi, a quorum nominibus Atheniensium Tribus vocabantur: ut cum alii referunt, tum Demosthenes In Theocrin. p. 1326: Orat. Funebr. p. 1397. sqq: qui iidem a Lycurgo In Leocrat. p. 197. init. dicuntur soli omnium esse ἐπώνυμοι τῆς χώρας· quorumque erant statuae in foro, certe illustri Urbis loco. Et his ipsis statuis, Tribus cuique suae, inscripta, aut juxta illas in tabulis posita, erant civium nomina, qui ex ea Tribu in militum album relati essent. Nam ita quidem est apud Aristophanem Pace v. 1181:

——— αὔριον γ' ἔσθ' ἡ ἔξοδος·
Τῷδε σιτί' οὐκ ἐώνητ'· οὐ γὰρ ᾔδειν (1) ἐξιών.
Εἶτα προςτὰς πρὸς τὸν ἀνδριάντα τὸν Πανδίονος,
Εἶδεν αὐτόν.

——— »cras vero est exitus:
» Huic autem frumentum non emtum est: non enim sciebat se (exiturum.
» Deinde adstans ante statuam Pandionis,
» Vidit seipsum."

Docet Scholiastes, Pandionis unam fuisse e duodecim statuis, (quot quidem postea fuerunt: Aristophanis tempore decem erant:) quibus inscribebantur cum militum κατάλογοι, tum etiam κηρύγματα. Res ex locis Demosthenesis supra citatis plenius etiam constat. Et vero prodit idem Demosthenes, In Timocrat. p. 706. 19. et p. 707. 8. sqq., ei qui novam quamdam ferret legem, necesse fuisse hanc albo inscriptam ante Eponymorum statuas

(1) Attice pro ᾔδει. Schol.

publice proponere; idque a Solone esse praescriptum; ait Adv. Leptin. p. 485. 10 et 17. Quod Æschines De Fals. Leg. p. 430. necesse quoque fuisse affirmat de Thesmothetis qui aliquid in legibus invicem contrarium atque repugnans animadvertisse sibi viderentur idque ideo mutandum censerent. Conferatur et Andocides De Myster. p. 40. Ibidem denique inscribebantur actiones quas quis se instituturum profiteretur, et de quibus praevia erat cognitio magistratui cujusque judiciorum praesidi, quum ipsa actio interea *jaceret*, *ἐκκέοιτο*· Demosthenes In Mid. p. 548. pr.: ut postea plenius videbimus Cap. XLI.

Antequam Solon suas leges scripsisset, non licebat novem Archontibus simul eodemque loco judicia habere iisque praeesse: quod postea obtinuit: sed proprium erat Archontis Eponymi, sedere ad statuas Eponymorum. Ita enim prodit Suidas v. Ἄρχων. *Πρὸ μὲν τῶν Σόλωνος νόμων, οὐκ ἐξῆν αὐτοῖς* (Ἄρχουσιν) *ἅμα δικάζειν· ἀλλ' ὁ μὲν Βασιλεὺς καθῆσο παρὰ τῷ καλουμένῳ Βουκολείῳ· — ὁ δὲ Πολέμαρχος, ἐν Λυκείῳ· καὶ ὁ Ἄρχων παρὰ τοὺς Ἐπωνύμους· οἱ Θεσμοθέται, παρὰ τὸ Θεσμοθέσιον.* »Ante leges quidem Solonis, non licebat ipsis (Archontibus) simul »judicare: sed Rex quidem sedebat ad locum dictum »Bucoleum: — Polemarchus, in Lyceo: et Archon (Epony»mus) ad Eponymos: Thesmothetae, ad Thesmothesium."

Quum vero Athenis jam antiquitus mos invaluisset cujusque civis nomini item nomen Tribus ad quam pertineret addere: de qua re, quippe satis notâ, cum ex Demosthene l. l. c. c., tum aliunde, non est quod plura exponamus: quumque, ut modo notavimus, Tribus ipsae nominibus heroüm illorum insignirentur; hinc est quod Demosthenes Adv. Macart. p. 1072. 26. meminit herois antiquissimi, cujus *cognominis*, *ἐπώνυμοι*, sint quilibet cives, i. e. *κατὰ φυλὴν*, ut addit Reiskius in Nota, *civis quisque ratione suae Tribus.* Magis etiam perspicue idem

Demosthenes Orat. Funebr. p. 1397. 16. Erechtheum dicit ἐπώνυμον Erechthidarum, civium Tribus Erechtheae. Eoque ipso loco notabili, quo singulos heroas Eponymos deinceps enumerat, et eorum veluti cognatione, cives cujusque Tribus incitat ad fortitudinem, virosque illos, qui pro patria occubuerunt, idem sibi exemplum ante oculos habuisse pronunciat: hoc igitur loco Tribulium Eponymum subinde vocat ipsorum ἀρχηγὸν· ut p. 1398. 18, 21, 27: quasi *archiducem* ajas. Sic et Pausanias ille Lacedaemonius, in inscriptione Apollini dicata, et cum insigni ipsius Pausaniae reprehensione a Demosthene In Neaer. p. 1378. 6. allata, se ipse dixit Ἑλλήνων ἀρχηγὸν. Haud dissimili porro ratione, quam eâ, de qua modo exposuimus, scriptum est ab eodem In Aristogit. I. p. 773. pr.: ἧς (τῆς Δίκης) ἐπώνυμός ἐστιν ὑμῶν ἕκαστος ὁ ἀεὶ δικάζειν λαχών· » cujus (justitiae) *cognominis* est unus» quisque vestrum quoties sorte *judex* esse designatur:" *Justitiae*, inquam, quae ibidem, paullo ante, verbisque vere elegantissimis, auctoritate Orphei, depingitur tamquam Dea solio Jovis adsidens. Lycurgus In Leocrat. p. 155. τὴν ἐπωνυμίαν τῶν πατρῴων ἱερῶν, *cognominem patriorum sacrorum*, vocavit Minervam, *Athenam* scilicet, ad *Athenienses* ipse loquens. Quod idem civium Atheniensium nomen dicitur ipsorum ἐπωνυμία ab Aristide Panathen. T. 1. p. 103. Paullo aliter de Demosthene scripsit Æschines In Ctesiph. p. 547., *eum Alexandro cognomen Margitem imposuisse*, ἐπωνυμίαν δ' Ἀλεξάνδρῳ Μαργίτην ἐτίθετο.

Verum ad rem praesentem redeamus. Ab hoc igitur, quem attigimus, more, milites per Archontem Eponymum quo inscripti essent designandi, repetenda quoque est appellatio τῆς στρατείας, seu ἐξόδου ἐν τοῖς ἐπωνύμοις, memorata Harpocrationi v. στρατεία ἐν τοῖς ἐπωνύμοις, quaeque hodieque uno Æschinis loco, De Fals. Leg. p. 330.

sq., exstat, ubi opponitur τῇ στρατείᾳ ἐν τοῖς μέρεσι. Et illo quidem nomine, στρατείας ἐν τοῖς Ἐπωνύμοις, significari constat militiam solennem, secundum Archontes Eponymos designatam, et quae omnibus eodem anno natis esset communis. Contra, ἐν τοῖς μέρεσι στρατείαν hujusmodi fuisse existimem, qua partim duntaxat cives, extra ordinem, neque ex militum albo, in repentino, puto, periculo, evocabantur: quamquam aliter illud accipiant Suidas ac Palmerius: aliter etiam Reiskius: cf. Suidas v. Τερθρεία: Palmerius et Reiskius ad Æschin. d. l. not. 58 et 59. Cur ab utrisque dissentiam, breviter dicam. Æschines d. l. sic ait: Πρώτην δ' ἐξελθὼν στρατείαν τὴν ἐν τοῖς μέρεσι καλουμένην, καὶ συμπαραπέμπων μετὰ τῶν ἡλικιωτῶν, καὶ τῶν Ἀλκιβιάδου ξένων, κ. τ. λ. Et paullo post: — καὶ τὰς ἄλλας τὰς ἐκ διαδοχῆς ἐξόδους, τὰς ἐν τοῖς ἐπωνύμοις καὶ τοῖς μέρεσιν ἐξῆλθον. Suidas refert, nonnullos ita prodere, στρατείαν ἐν τοῖς μέρεσι vocatam, quod mos esset, tirones, postquam περίπολοι fuissent, nunc quidem in bellum proficisci, neque vero simul cum aliis continuo in pugna collocari, sed separatim in iis aciei partibus, μέρεσι, constitui, quae minus periculi habere viderentur. Sed ne dicamus, hujus rei nullum, quod sciam, hodieque apud Scriptores vestigium exstare, praeterea locus Æschinis ipse hanc interpretationem respuit, quum militia ἐν τοῖς μέρεσιν opponatur militiae ἐν τοῖς ἐπωνύμοις. Nam solennis epheborum militia, haud minus quam caeterorum civium, ἐν τοῖς ἐπωνύμοις erat; siquidem et ipsi ad militandum vocabantur ratione Eponymi, i. e. Archontis Eponymi, quo in civium numerum essent relati. Quod cum per se patet, tum confirmatur testimonio gravissimi auctoris Aristotelis in opere de Atheniensium republica, apud Harpocrationem l. c. Accedit, quod utriusque generis plura stipendia, et quidem illius ἐν τοῖς μέρεσι posteriori loco ab Æschine me-

morantur. Magis etiam rem illustrant verba Platonis, Legg. XII. p. 943 A: *στρατεύεσθαι τὸν καταλεγέντα, ἢ τὸν ἐν μέρει τινὶ τεταγμένον*: quo loco milites *ἐν μέρει* diserte opponuntur militibus delectis, *in catalogum*, *in album relatis*. Et eo sensu *καταλέγειν* et *κατάλογος* subinde apud optimos scriptores usurpantur: ut apud Herodotum VII. 115: Thucydidem VI. 26. 31. 43: VII. 16. 20: VIII. 24. 29: Xenophontem Mem. Socr. III. 4. 1: Hist. Gr. I. 1. § 24: 4 § 9: Lysiam Orat. XXV. p. 773. alibique saepius: Isaeum Or. VI. p. 163: Demosthenem De Contribut. p. 1671. 17: Adv. Polycl. p. 1208. 5: 1211. 15: Aristophanem Equit. v. 1366: Acharn. v. 1064: item apud Ælianum Var. Hist. XIII. 12., ubi Meto astronomus dicitur fuisse *unus catalogi*, *εἷς τοῦ καταλόγου*, Siculaeque expeditionis mala praevidens, insaniam simulasse domumque ipse suam incendisse: inde a magistratibus esse dimissus: *ἐκ τούτου ἀφῆκαν αὐτὸν οἱ ἄρχοντες* (1). Quod militiae genus eaque ex catalogo descriptio item ad *nautas* pertinuerunt: cf. Demosthenes Adv. Polycl. ll. cc. Itaque jure mihi conficere videor, duplex Athenis militiae genus fuisse: alterum solenne, quo cives aetatis ordine quique suâ vice in militum album inscribe-

(1) Ex hoc Æliani loco dicendum videatur, Catalogi confectionem seu inspectionem Athenis fuisse penes *Archontes*: quae res, quod sciam, aliunde non constat: minime autem per se a veri similitudine abhorret. Quum vero apud Demosthenem Adv. Polycl. l. c. p. 1208. 5. scriptum sit, *τοὺς βουλευτὰς καὶ τοὺς δημάρχους καταλόγους ποιεῖσθαι τῶν δημοτῶν*, idque proprie quidem de militia navali dicatur, de omni vero militia videatur intelligendum; hinc apud Ælianum vel *ἄρχοντες*, at alias saepe, veluti apud Demosthenem In Androt. p. 601., (quae verba ad locum de furtis supra p. 66 spectavimus.), simpliciter intelligendi sunt *Magistratus*, ut nil peculiarius ibidem definiatur: vel res ita distinguenda est, Catalogi confectionem quidem penes Senatores ac Demarchos, totius vero rei inspectionem dimittendique facultatem fuisse penes Archontes.

bantur atque in bellum educebantur: alterum magis repentinum ac tumultuarium, quo non omnes certae aetatis cives in tabulas relati, sed partim eorum, quo numero opus esset, in expeditionem seu praesidia mittebantur (1). Nam quod Æschines memorat τὰς ἐκ διαδοχῆς ἐξόδους, idque manifeste refert ad utrumque genus, (ut male Reiskius tantummodo de militia ἐν τοῖς μέρεσιν intellexerit,) hoc apposite illustrat Brodaeus ad h. l., et eo pertinet, cives Athenienses militiam *per vices* obiisse, nec stipendia meruisse continuata, verum aliis domum reversis alios deinceps successisse. Quod ipsum supra vidimus ita usurpatum, ut aetatis ejusdem plerumque item ejusdem militiae essent socii. Eaque interpretatio etiam inde confirmatur, quod κατὰ διαδοχὴν eodem sensu dicitur apud Thucydidem VII. 28: πρὸς γὰρ τῇ ἐπάλξει τὴν μὲν ἡμέραν κατὰ διαδοχὴν οἱ Ἀθηναῖοι φυλάσσοντες, τὴν δὲ νύκτα: quo loco recte vertunt Interpretes *per vices:* »ad propugnaculum enim Athenienses »interdiu quidem per vices in custodia stantes, et vero »noctu." Magis quoque ad rem pertinet aliud exemplum Demosthenis In Philipp. I. p. 46. 1., ubi similiter usurpatur ἐκ διαδοχῆς: quod idem Reiskius in Indice bene interpretatur, *quum milites alii recentes succedunt in locum aliorum statione degressorum.* Et ibid In Mid. p. 567. 18. ἡ διαδοχὴ hac ipsa significatione dicitur *permutatio*, quum alii milites aliis succedunt.

Cives autem Athenienses, εἰς τὸ ληξιαρχικὸν γραμματεῖον ἐγγραφόμενοι, *in militare album adscripti:* in quod

(1) Caeterum ἐν μέρει nonnunquam recte vertatur *vicissim, sua vice:* veluti apud Herodotum VII. 212: Isaeum Or. VIII. p. 244: Xenophontem Hist. Gr. II. 1 § 4: VII. 153: Ælianum Var. Hist. VIII. 3: XIII. 10: Lucianum Dial. Mort. XX., ad quem locum conferendus est Hemsterhusius. Et eodem sensu κατὰ μέρος est apud Xenophontem ibid. VII. 1. § 12.

omnes, in Demo quisque suo, quum ephebi fierent, relati fuisse videntur, quaque de re conferri possunt Lycurgus In Leocrat. p. 189: Isaeus Or. VI. p. 178: Demosthenes Adv. Leochar. p. 1091: Adv. Eubulid. p. 1306: cives igitur Athenienses jusjurandum pulcherrimum jurabant, *se neque arma sacra dedecoraturos, neque aciem relicturos, patriam vero defensuros, nec minorem, sed contra meliorem atque auctiorem relicturos.* Quod sacramentum hodieque apud Lycurgum Oratorem iisdem, quae retulimus, verbis memoratur, In Leocrat. l. c.: *μήτε ἱερὰ ὅπλα καταισχυνεῖν, μήτε τὴν τάξιν λείψειν, ἀμυνεῖν* (1) *δὲ τῇ πατρίδι, καὶ ἀμείνω παραδώσειν.* Plenius item exstat apud Stobaeum. Serm. XLI p. 243. 20 sqq. ed. Aurel. Allobr. 1609: *Οὐ καταισχυνῶ ὅπλα τὰ ἱερὰ, οὐδ' ἐγκαταλείψω τὸν παραςάτην, ὅτῳ ἂν ςοιχήσω. ἀμυνῶ δὲ καὶ ὑπὲρ ἱερῶν καὶ ὑπὲρ ὁσίων, καὶ μόνος καὶ μετὰ πολλῶν. τὴν πατρίδα δὲ οὐκ ἐλάσσω παραδώσω, πλείω δὲ καὶ ἀρείω, ὅσην ἂν παραδέξωμαι. καὶ εὐηκοήσω τῶν ἀεὶ κρινόντων ἐμφρόνως, καὶ τοῖς θεσμοῖς τοῖς ἱδρυμένοις πείσομαι, καὶ οὕστινας ἂν ἄλλους τὸ πλῆθος ἱδρύσηται ὁμοφρόνως. καὶ ἄν τις ἀναιρῇ τοὺς θεσμοὺς, ἢ μὴ πείθηται, οὐκ ἐπιτρέψω, ἀμυνῶ δὲ καὶ μόνος, καὶ μετὰ πάντων. καὶ ἱερὰ τὰ πάτρια τιμήσω. Ἵςορες*

(1) Ut *ἀμύνειν τινι*, hoc loco et saepissime, dici solet *defendere, juvare aliquem*, sic in medio *ἀμύνεσθαι τινὰ* est *repellere aliquem*, veluti hoc ipso Lycurgi loco scriptum est, *τὺς πολεμίυς ἀμύνεσθαι:* tum apud Isaeum, Or. I. p. 5., eadem prorsus significatione usurpatur, de repellenda injuria alicui illata a familiaribus, *ὓς ὲδ' ἀμύνεσθαι καλῶς ἔχει:* ipse injuriam passus eamque repellens paullo post vocatur *ἀμυνόμενος τύτυς*. Itaque et Xenophon Agesil. 11. § 3. de Agesilao: *Ἐμίσει δὲ ὺκ εἴ τις κακῶς πάσχων ἠμύνετο, ἀλλ' εἴ τις εὐεργετύμενος ἀχάριςος φαίνοιτο.* » Oderat autem non si quis male passus injuriam repelleret, sed si » quis beneficio affectus videretur ingratus." Et Demosthenes De Reb. Cherrhon. p. 91. 25., alibique saepius, simili sensu similiter dixit: item Isocrates, cujus loca collegit Augerius in Indice.

θεοὶ τούτων. »Non dedecorabo arma sacra, neque dere»linquam adstantem, juxta quem collocatus fuero. Pu»gnabo vero et pro sacris et pro sanctis (rebus), et solus »et cum multis. Patriam autem non minorem tradam, »imo majorem ac meliorem, quam qualem receperim. »Et libenter obediam magistratibus qui quoque tempore »erunt, et legibus constitutis obtemperabo quasque alias »plebs sanciat concorditer. Et si quis sustulerit leges (iis)»ve non obediat, non concedam, sed ulciscar tam so»lus, quam cum omnibus. Et sacra patria colam. Tes»tes horum (sint) dii." Quae eadem fere habet Pollux VIII. § 9. Eaque plenior jurisjurandi formula confirmatur iis quae Lycurgus d. l. porro subjungit verbis legitimis, minus integre ab ipso allatis. Idem nomine τοῦ τῶν ἐφήβων ὅρκου significari videtur a Demosthene De Fals. Legat. p. 438. 18., ubi ὅρκος ille peculiarius etiam dicitur ὁ ἐν τῷ τῆς Ἀγραύλου; itaque indicat Demosthenes, juvenes hoc in Agraulae (Cecropis filiae) templo jurasse. Hoc autem jurejurando quum summa fere contineatur eorum quae ad civis militantis officium pertinerent, tum quoque ipsius violatio quaedam cernitur in omnibus quae nunc deinceps spectabimus delictis; ut eo major exstiterit ratio, cur haec severâ illâ poenâ ἀτιμίας sancita fuerint.

CAPUT XIII.

'Ἀστρατεία: ἀστράτευτοι. *Immunitas a militia*, ἀτέλεια.

Et primo quidem, (ut in recensendis illis criminibus ordinem sequamur eum qui sponte sese nobis offert,) ἄτιμοι erant, damnati ἀστρατείας. Cujus rei cum testis est Andocides, loco supra citato, De Myster. p. 35: tum eadem aliunde certissime constat: veluti ex Demosthenis Oratione In Midiam p. 533 sq.: In Neaeram p. 1353 fin.: γραφεὶς ἀστρατείας — ἥλω καὶ ἠτιμώθη· ubi mentio fit Xenoclidis poetae, qui ἀστρατείας judicio damnatus, nec testimonium dicere, μαρτυρεῖν, secundum leges posset, et omnino ἄτιμος factus esset. Sed ut omittamus crimen ipsum ἀστρατείας cujusmodi fuerit definire, quamquam in re perspicua, tamen committendum non existimo. Igitur eo nomine in judicium vocari solebant illi, qui militiam legitimam detrectassent, neque, in militum numerum quum essent relati, sese apud exercitum stitissent. Ita Xenoclides ille, quem modo ex Demosthene memorabam, reus factus erat, quod non exiisset cum exercitu ad Lacedaemonios juvandos comparato, et in quem haud dubio, quamquam hoc a Demosthene non additur, ipse fuerat adscriptus. Nam perspicuum quidem est, eum tantum in culpa fuisse, qui legitime jussus non militasset; ut plerumque hoc loco intelligendi sint illi quorum nomina in album, κατάλογον, essent relata. Sic et Lysias In Alcib. I. p. 521,

Alcibiadem accusat ἀστρατείας, ὅτι καταλεγεὶς οὐκ ἐπεξῆλθε μεθ' ὑμῶν στρατοπεδευομένων, οὐδὲ παρῆν μετὰ τῶν ἄλλων ἑαυτὸν τάξας, »quod in album militare conscri-»ptus non exiit vobiscum militantibus, neque adfuit cum »aliis se in acie sistens:" quae ipsa Lysiae Oratio XIV, item sequens XV, in Alcibiadem II, omnes in eo sunt positae ut hunc reum esse contendant ἀστρατείας, λειποταξίου, δειλίας. Similiterque, ut hoc addamus, Lycurgus In Leocrat. p. 239. fin. accusationem conjungit λειποταξίου et ἀστρατείας, de Leocrate affirmans, quod is scilicet utroque crimine teneretur, μὴ (1) παρασχὼν τὸ σῶμα τάξαι τοῖς στρατηγοῖς: »qui non praebuisset corpus »ordinandum ducibus." Quod autem Lysias d. l. significat lege cautum esse de eo, qui in album adscriptus, postea sese apud excercitum non stitisset, prudenter hoc quidem intelligendum est. Nam ad eos quoque legem pertinuisse, qui non essent inscripti, καταλεγέντες, sed ad extraordinariam militiam, στρατείαν ἐν τοῖς μέρεσι, vocati: hoc cum per se admodum verisimile est, tum fere certo statuendum videtur propter locum Platonis, illum ipsum quem modo citavimus, Legg. XII. p. 943. A., ubi de utroque militum genere diserte pronunciat, si non militaverint, nec tamen a ducibus sint dimissi, adversus eos dandam esse actionem publicam, γραφὴν ἀστρατείας. Licet enim Plato de suâ republica dicat sic constitui oportere, id ipsum Athenis re vera obtinuisse, indidem haud temere affirmemus. Universe lege illa tenebatur, »qui non militasset militias, quaecumque ei fuis-»sent imperatae, τὰς στρατείας μὴ ἐστρατευμένος, ὅσαι ἂν αὐτῷ προσταχθῶσιν: ut ait Æschines In Timarch. p. 54. Ipsa γραφὴ ἀστρατείας memoratur et ab Aristophan. Equit.

(1) Vulgo legitur simpliciter παρασχών: sed haud dubio ante hanc vocem addendum est, sive μή, cum Stephano, sive ὁ, cum Scaligero. Sic et judicat Taylorus.

v. 441: similique fere ratione τῶν τῆς ἀστρατείας γραφῶν meminit Lysias, In Alcib. II. init. p. 557.

Ii qui militiam legitimam detrectassent, reique facti essent τῆς ἀστρατείας, ipsi quoque dicebantur ἀστράτευτοι: veluti est apud Demosthenem et Æschinem, locis citatis a Wesselingio ad Petit. Comm. p. 666: tum apud Lysiam Or. IX. p. 331.

Caeterum hic memorandi sunt qui Athenis militiae erant immunes, justasve excusandi caussas habebant. Quorum numerus admodum fuit exiguus. Nam eos qui corpore essent invalidi, perspicuum est, in exercitum non fuisse conscriptos. Item sponte intelligitur, magistratus urbanos, aliosque omnes quos domi publico aliquo munere fungi necesse esset, eo anno non militasse, nec nisi in extrema patriae necessitate arma cepisse. Reliqui autem cives non nisi ob duas caussas a militia immunes, ἀτελεῖς, fuisse videntur. Primum, si qui publica redemissent: conferatur Petitus VIII. 2. Comm. p. 664. ibique Wesselingius. Quamquam Demosthenes In Neaer. p. 1353., ubi hoc legibus ita cautum esse omnino affirmat, reique rationem addit; (ut Reiskius Ind. Demosth. v. ἀτέλεια dubitanter hac de re loqui non debuisset: quum praeterea et Ulpianus in Demosth. Mid. p..365. R. (p. 685. A.) diserte hoc item tradat: οἱ τελῶναι τοῦ πολεμεῖν εἶχον ἀτέλειαν: »publicani habebant immunitatem a militando:") ipse tamen Demosthenes exemplum refert publicani, qui quinquagesimam conduxerat frumenti, nihiloque minus, quod cum exercitu non exiisset, ab inimico reus factus ἀστρατείας, ipsiusque calumniis in judicio vexatus, eo nomine damnatus erat. Altera excusatio eorum, qui quo tempore in militiam evocabantur, choris sacris interessent: conferatur Ulpianus Comm. in Demosth. Olynth. III. p. 43. D. E. ed. Francof. (1). tum Petitus l. c. et p.

(1) Hunc locum Ulpiani Scholiastis citantes, indidem ejus erro-

sq. item. III. 4. § 2. sqq. Comm. p. 351 sqq. Quae res profecto haud satis expedita est: idque cum ex iis apparet quae adduxit Petitus, tum ex Demosthenis Oratione In Boeotum I. p. 999. Attamen difficultas ista profligari

rem quemdam verbo memoremus, licet jamdudum, partim quidem, a Wesselingio notatum. Nam quum Demosthenes, Olynth. III. p. 31. R., et alias nonnullas leges civibus abolendas suaderet, et eas ipsas quae choreutas excusarent a militia, easque leges vocaret *νόμυς περὶ τῶν ϛρατευομένων ἐνίυς — (οἳ) τὺς ἀτακτῦντας ἀθῴυς καθιϛᾶσιν, εἶτα καὶ τυς τὰ δέοντα ποιεῖν βυλομένυς ἀθυμοτέρους ποιῦσιν:* ad haec igitur verba notat Ulpianus: *ἀϛράτευτός ἐϛιν ὁ μηδέποτε ἐγγραφεὶς εἰς κατάλογον τῶν ϛρατιωτῶν· ἀϛράτευτος.* »est qui non»dum inscriptus est in albo militum:" p. 22 ed. Paris: male profecto, ut observat Wesselingius ad Petit. p. 666. in not., et ex omnibus, quae nos adduximus, satis apparet. Pergit Ulpianus: *ἄτακτος δὲ, ὁ ἐγγραφεὶς μὲν, μὴ ἐξιὼν δὲ εἰς τὰς ἐπιβαλλέσας αὐτῷ ϛρατείας:* »*ἄτακτος* autem, inscriptus quidem, non vero exiens ad militias »ipsi impositas." Atqui hic ipse est *ἀϛράτευτος.* — *Ἄτακτος, ἀτακτεῖν, ἀταξία*, magis universe usurpantur: opponuntur *τάξις, εὔτακτος, εὐταξία:* utraque pertinent ad obedientiam militis erga ducem, ad ordinem in militando, disciplinam, vulgo aiunt subordinationem. Cf. haec eadem Demosthenis Oratio p. 38, Xenophon Hist. Gr. III. 1. § 7. Morus ibid. in Ind. v. v. *ἀταξία* et *εὔτακτος:* tum Xenophon Oecon. c. 5. § 15, c. 8 § 4, De offic. Magistr. Equit. c. 1. § 24., unde in primis apparet, *τὺς ἀτακτῦντας* Athenis non teneri delicti publici, quale fuit *ἀϛράτεια*, *λειποτάξιον*, alia ejusmodi, verum eos in ipso bello et exercitu a praefectis coërceri. Itaque et Demosthenes loco illo Olynth. III. p. 31. memorat »leges »nonnullas de militantibus, — quae inordinatos faciunt multos, »deinde et officia praestare volentes reddunt minus animosos." Idem In Aristogit. I. p. 774, cum naturae tum legum vim exponens sibique invicem opponens, iisque utrisque omnem ajens regi hominum vitam: *τύτων δ' ἡ μὲν φύσις ἐϛὶν ἄτακτον, καὶ ἀνώμαλον, καὶ κατ' ἄνδρα, ἴδιον τῷ ἔχοντι· οἱ δὲ νόμοι κοινὸν καὶ τεταγμένον, καὶ ταὐτὸ πᾶσιν:* »Horum (hominum) natura qui»dem est (aliquid) inordinatum, et anomalum, et in quoque homine »proprium possidenti; leges vero, (aliquid) commune et ordinatum, »et idem omnibus."

posse videtur, dum modo bene teneamus, non cuiquam civi Atheniensi, sed ei tantummodo cui id leges ipsae juberent, choreutam esse licuisse. Quidquid sit, quum illi qui in choro saltarent, militiae immunitatem haberent; mirum non est, leges Atheniensium jussisse, ut qui damnati essent ἀστρατείας, ne ipsis liceret amplius choro interesse: cujusmodi homines manu prehendi ac de scena abduci necesse fuisse. De quibus legibus conferri potest Petitus l. c. III. 4. § 6. p. 354.: in primis vero legendus est Demosthenes In Mid. p. 533. sqq.: item addendus Ulpianus ad. h. l. p. 612. C. ed. Francof., qui illud non tantum de ἀστρατείας damnato, sed de quovis ἀτίμῳ interpretatur. Diversissimus profecto, posterioribus saltem temporibus, mos fuit Romanorum, quibus chori e servis erant. Qua de re, satis omnibus nota, citasse suffecerit Legem 79. pr. D. De Legat. III.

CAPUT XIV.

Λειποτάξιον: λειποτάκτης.

Ab Andocide d. l. De Myster. p. 35. nominantur et illi, ὁπόσοι λίποιεν τὴν τάξιν, *quotquot ordinem deseruerint*, i. e. ordinem ipsis in acie designatum a ducibus. Qui quidem ab Andocide eodem, quo damnati ἀστρατείας, loco ponuntur. Diserte quoque Demosthenes De Rhodior. libert. p. 200. 10: Ὑμεῖς τὸν λείποντα τὴν ὑπὸ τοῦ στρατηγοῦ τάξιν ταχθεῖσαν, ἄτιμον οἴεσθε προσήκειν εἶναι, καὶ μηδενὸς τῶν κοινῶν μετέχειν: »Vos existimatis oportere, »eum qui relinquit aciem a duce ordinatam, infamem »esse, et nullius communium (civis jurium) participem." Et vero hoc sensu λείπειν τὴν τάξιν frequenter apud Atticos usurpatur: veluti apud Lycurgum In Leocrat. p. 189, in illa jurisjurandi formula solenni, supra Cap. XII. in fin. a nobis descripta: Lysiam In Alcib. I. p. 520. sq.: Dinarchum In Demosth. p. 51. 11: Æschinem In Ctesiph. p. 391: p. 537: p. 565: itemque apud Polybium VI. 37 § 12: apud quem III. 84 § 7. scriptum est λείπειν τὰς τάξεις. Ipsum crimen λειποτάξιον dicitur a Lysia d. l.: Demosthen. In Boeot. I. p. 999: Æschine De Fals. Legat. p. 314: Lycurgo In Leocrat. p. 239. A quo, ut et proximo Capite vidimus, Leocrates hoc crimine teneri dicitur, οὐ παρασχὼν τὸ σῶμα τάξαι τοῖς στρατηγοῖς: »non »praebens corpus ordinandum ducibus." Plenius Lysias

d. l. In Alcibiad. I. p. 520. sq: Τολμῶσι γάρ τινες λέγειν, ὡς οὐδεὶς ἔνοχός ἐςι λειποταξίου, οὐδὲ δειλίας. μάχην γὰρ οὐδεμίαν γεγονέναι· τὸν δὲ νόμον κελεύειν, ἐάν τις λίπῃ τὴν τάξιν εἰς τοὐπίσω, δειλίας ἕνεκα, μαχομένων τῶν ἄλλων, περὶ τούτου τοὺς ςρατηγοὺς (1) δικάζειν. ὁ δὲ νόμος οὐ περὶ τούτων κελεύει μόνον, ἀλλὰ καὶ ὁπόσοι ἂν μὴ παρῶσιν ἐν τῇ πεζῇ ςρατιᾷ. Ἀνάγνωθί μοι τὸν νόμον. ΝΟΜΟΣ. Ἀκούετε, ὦ ἄνδρες δικαςαὶ, ὅτι περὶ ἀμφοτέρων κεῖται, καὶ ὅσοι ἐὰν μάχης οὔσης εἰς τοὐπίσω ἀναχωρήσωσι, καὶ ὅσοι ἂν ἐν τῇ πεζῇ ςρατιᾷ μὴ παρῶσι. »Audent enim nonnulli dicere, »neminem teneri deserti ordinis militaris, neque timi»ditatis. pugnam enim nullam intervenisse: legem vero »jubere, si quis ordinem deseruerit retrorsum cedens, »timiditatis caussa, reliquis pugnantibus, de hoc stra»tegos cognoscere. Atqui lex non de his solummodo »praecipit, sed et (de iis) quotquot non adsint in pedestri »acie. Recita mihi legem. LEX. Auditis, o viri judices, »eam ad utrosque pertinere, et quotquot pugna fervente »retro cesserint, et quotquot in acie pedestri non adfue»rint." Legis ipsius, quam Lysias recitari jubet, verba non sunt addita, neque alibi, quod sciam, hodieque exstant. Illud tamen, cum ex iis quae antea attulimus, tum praesertim ex hoc Lysiae loco, satis manifestum est, λειποταξίου teneri qui ordinem in acie ipsi imperatum deseruerit. Verbaque ea, ἐάν τις λίπῃ τὴν τάξιν εἰς τοὐπίσω, in ipsa lege de hoc crimine fuisse scripta, ex eo verisimile possit videri, quod Orator, adversariis ipse concedens pugnam nullam in hac expeditione intervenisse, nihilominus demonstrare conatur Alcibiadem in poenas incidisse legitimas, eumque teneri, cum ἀςρατείας, tum δειλίας: ib. p. 521. sq.; ut ergo λειπο-

(1) Sic enim legendum est, cum Schotto: vel ςρατηγοῦντας, cum Marklando. Vulgo male legitur ςρατιώτας: quod Reiskius in textu reliquit, emendationem in versione expressit.

ταξίου hic de industria non meminerit. Caeterum hujus criminis reus λειποτάκτης vocatur ab Ulpiano Comm. ad Demosth. Olynth. III. p. 43. D. ed. Francof., recteque ab eo ita definitur: ὁ παρὰ τὴν μάχην καὶ τὸ ϛρατοπέδον τὴν τάξιν καὶ τοὺς συνασπιϛὰς ἀπολιπών· »in pugna et »exercitu ordinem et juxta stantes relinquens."

In hoc crimen λειποταξίου et eos incidere contendit Demosthenes De Cor. trierarch. p. 1230., qui, trierarchae quum essent designati a strategis, ipsi id munus aliis elocassent. Ab aliquo enim tum tempore invaluerat ille abusus, quem severissime orator reprehendit.

Et vero τάξιν λείπειν ut proprie dicitur de deserendo ordine militari in exercitu et pugna, sic eadem dictio tralatitie usurpatur de eo qui ordinem deserit *ipsi jussum a legibus*, ἣν τέταχθε ὑπὸ τῶν νόμων· Æschines In Ctesiph. p. 391. Similiterque Demosthenes De Rhodior. libert. p. 200. 13., praemissis iis quae initio Capitis retulimus, porro sic pergit: Χρὴ τοίνυν καὶ τοὺς τὴν ὑπὸ τῶν προγόνων τάξιν ἐν τῇ πολιτείᾳ παραδεδομένην λείποντας, καὶ πολιτευομένους ὀλιγαρχικῶς, ἀτίμους τοῦ συμβουλεύειν ὑμῖν ποιεῖσθαι: »Oportet igitur et eos qui a majoribus »traditum ordinem in republica deserunt et oligarchice »eam gerunt, a consiliis vestris removere."

CAPUT XV.

Λειποστράτιον: λειποστρατία: λειποστράτιος.

Λειποστρατίου γραφὴν memorat Pollux VIII. s. 40. Quam accusationem ad eos pertinuisse, ratio grammatica docet, *qui exercitum deseruissent.* Non quidem disertis verbis ab Oratoribus Atticis nominatur: credo, quod fere cum accusatione λειποταξίου conveniret, eoque minus ab eâ distingui opus esset, siquidem iisdem crimen utrumque poenis esset sancitum: fortasse etiam propterea, quod λειποτάξιον magis esset nomen militare et hac in re proprium. Quamquam Romanis simili significatione *ordines deserere* et *exercitum deserere* promiscue fere usurpantur. Caeterum λειποστρατία est apud Herodotum V. 27: λειποστράτιον, apud Thucydidem I. 99., ubi Scholiastes: λειποστράτιον, τὸ μὴ θέλειν στρατεύεσθαι· »non velle militari:" quocum convenit Suidas in v., porro addens: καὶ λειποστράτιος, ὁ τὴν στρατιὰν καταλιπών· »et λειποστράτιος, is qui exercitum deseruit."

CAPUT XVI.

Λειποναύτιον. Ἀναυμάχιον.

Ut ea, quae modo memoravimus, delicta fere militiae terrestris, ita propria navalis militiae fuerunt λειποναύτιον et ἀναυμάχιον· quae ita definiuntur a Polluce VIII. S. 42., ut prioris criminis reus sit *qui navem ipsam deseruit: ἀναυμαχίου* teneatur, *qui navem non quidem reliquit, nec tamen pugnavit, οὐ μέντοι ναυμαχήσας.* Λειποναύτιον alibi a Veteribus memoratum non repperi: nisi quod huc forte referri possit unus Demosthenis locus, De Coron. trierarch. p. 1231. 10: Τῶν μὲν ναυτῶν τοὺς ἀπολειπομένους —— δέουσι καὶ κολάζουσιν: »Nautarum quidem eos »qui aufugiunt —— ligant et castigant." Ἀναυμαχίου meminit etiam Suidas in v., similiter ut Pollux, τὸ μὴ ναυμαχῆσαι exponens, vocem ipsam commemorans ex Andocide; unde viri doctissimi, Petitus, Kusterus, Valckenarius, Taylorus, dudum certissimâ emendatione, quam Reiskius item sequi debuisset, eo ipso Andocidis loco, supra a nobis allato, De Myster. p. 35., ἀναυμαχίου seu ἀναυμαχίας reposuerunt, quum antea perperam legeretur ναυμαχίας. Conferri hac de re item potest Sluiterus Lect. Andoc. p. 130.

Quod vero Suidas d. l., hoc ipso crimine ex Andocide memorato, porro addit: οὕτω δὲ δεῖ καὶ αὐτοὺς, καὶ τοὺς ἐξ αὐτῶν ἀτίμους εἶναι: »ita vero oportet et ipsos et eorum

» posteros esse infames:" in eo quidem aut errat, aut corrupta est lectio. Nec repudianda videtur opinio Kusteri ad h. l., existimantis Suidam ipsum errasse, verbaque Andocidis perverse intellexisse, ut haec quidem, τούτους ἔδει — ἀτίμους εἶναι, non, ut debebat, ad ea tantum quae praecederent, furti numerumque datorum crimina, sed ad sequentia quoque referret.

CAPUT XVII.

Scuti abjectio: ἀποβάλλειν τὴν ἀσπίδα· ὅπλα. Cleonymus ὁ ῥίψασπις. Archilochi distichon.

Andocides p. 35. pen., et Pollux, l. c., eos item memorant *qui scutum abjecissent.* Quod factum quam turpe habitum sit Athenis, plura Scriptorum loca declarant. Andocides hujus ignaviae convictos eadem infamia laborasse refert qua caeteros quos modo recensuimus. Æschines In Timarch. p. 54. hominibus istis *cum populo agere*, λέγειν ἐν τῷ δήμῳ, non licuisse ait: quocum conferendus est Lysias In Theomn. I. Or. XX. p. 342., qui hinc adversus Theomnestum εἰσαγγελίαν institutam refert, quod is orationes ad populum habuisset, idque ei non liceret, siquidem in praelio abjecisset τὰ ὅπλα, *arma:* id est *scutum.* Nam lege tantummodo cautum erat de scuto abjecto, non de reliquis armis. Quod cum colligitur ex locis Andocidis, Æschinis, Pollucis, modo memoratis, aliisque pluribus, ubi hac in re solius clypei, ἀσπίδος, mentio fit: tum certo constat ex Plutarcho in Pelopid. p. 278. B. C. Ibi enim traditur, a Graecis legislatoribus punitum fuisse τὸν ῥίψασπιν, *eum qui abjecisset scutum*, non item, qui hastam vel gladium abjecisset: ratio additur, homines sapientissimos ita ostendere voluisse, potiorem cuique ducendam esse curam, ne quid mali ipse patiatur, quam ut hostibus inferat.

Igitur apud Suidam v. *ἀναυμαχίου*, poenas legitimas memorantem *τοῦ τὰ ὅπλα ἀποβαλεῖν*, solus clypeus intelligendus. Et vero minime infrequens est hic usus, quo Graecis *ὅπλα*, ut Latinis *arma*, peculiariter dicuntur scuta: veluti Xenophonti Hist. Gr. II. 4. § 16: Thucydidi VII. 45., ubi plura exempla attulit Dukerus.

Caeterum opinio illa, qua in primis turpe censebatur scutum amisisse, Graecis non tantum communis fuit cum Romanis, qui sane ab iis originem duxerunt: sed quoque cum veteribus Germanis. Quod utrum communi utriusque gentis stirpi, an alii potius caussae tribuendum sit, equidem non statuo. Res ipsa certissime constat: nec tamen hoc loco uberius tractanda vel testimoniis confirmanda erat. Aliquid dedit Petitus ad Legg. Att. p. 667.

Itaque ipsis legis verbis utens, Andocides memorat eos qui *τὴν ἀσπίδα ἀποβάλοιεν*. Nam et hoc legitimum verbum erat, *ἀποβεβληκέναι*: non *ῥίψαι*, quamquam hoc eodem sensu dicatur: ex qua animadversione pendet interpretatio loci Lysiaci, Orat. in Theomnest. I. p. 349. sq. et p. 353. sq. Addi potest simillimus locus ex Oratione II. in Theomnest. p. 377. sq.: quae quidem altera in Theomnestum Oratio non nisi prioris illius epitome est, neque ab ipso Lysia profecta videtur. Adeo turpe autem existimabatur clypeum abjecisse, ut qui id alteri falso exprobrasset et per injuriam, quingentis ipse drachmis, tamquam calumniator, mulctaretur: quod ibidem nos Lysias docet: minus recte intellectus a Meursio Them. Att. I. 9. p. 24., quasi illud velit, hanc ipsam clypei abjecti poenam fuisse; quum id manifesto pertineat ad calumniam ejus qui falso de altero affirmasset.

In primis ob clypeum in pugna abjectum infamis fuit Athenis Cleonymus, memoratus Æliano De Nat. Animal. IV. 1. fin., tum ab Aristophane saepius eo nomine

traductus, veluti Vesp. v. 19. sqq.: Nub. v. 352., et acerbissime in Pace v. 1293—1302; ut hoc ei viro apud posteros etiam solenne fere cognomen adhaeserit, ὁ ῥίψασπις· cf. Suidas v. Κλεώνυμος ibique Kusterus (1). Et vero celebratum antiquitus erat illud Archilochi distichon, qui quum ex pugna adversus Saïos, turpiter relicto scuto, aufugisset, hoc suum dedecus ipse fassus est, seu potius ridicula interpretatione rei turpitudinem dissimulavit et amovere conatus est. Versus partim exstant apud Aristophanem in Pace d. l., ubi filius Cleonymi eos recitat, a patre edoctus: plenius servantur apud Plutarchum Lacon. Instit. p. 239. B.: Sextum Empiricum Pyrrh. Hyp. III. 24. p. 181. Archilochi locus ante oculos fuisse videtur Horatio Carm. II. 7. v. 9. sqq.

» Tecum Philippos et celerem fugam
» Sensi, relicta non bene parmula:
» Cum fracta virtus, et minaces,
» Turpe, solum tetigere mento."

Caeterum Archilochus quum Spartam venisset, ejectus est a Lacedaemoniis, versus illos ipsius indignantibus: narrante Plutarcho l. c.

Supra jam vidimus, scutum abjectum poenâ fuisse sancitum apud Graeciae populos plurimos: quod item loco citato refert Sextus Empiricus, notum dictum commemorans Lacaenae mulieris, quae quum clypeum filio in bellum proficiscenti porrigeret: » Tu," inquit, » fili, » aut hunc, aut super hunc." Et magno in primis habebatur honori, si quis ne vitam quidem clypei jacturâ servare voluisset. Cujusmodi illud fuit Chabriae, qui in oppugnatione Chii, quum ejus navis praeiret, nec cae-

(1) Idem Cleonymus ab Aristophane Vesp. v. 590. simili sensu dicitur Κολακώνυμος ἀσπιδαποβλής, priori voce positâ nimirum pro κόλαξ Κλεώνυμος.

terae sequerentur, » circumfusus est hostium concursu,
» et navis, rostro percussa, coepit sidere. Hinc refugere
» quum posset, si se in mare dejecisset; quod suberat
» classis Atheniensium, quae exciperet natantes: perire
» maluit, quam armis abjectis navem relinquere in qua
» fuerat vectus. — Praestare honestam mortem existimans
» turpi vitae, comminus pugnans telis hostium interfec-
» tus est." Rem narrat Nepos in Chabr. c. 4. fin.

Perspicuum autem est, eum qui scutum amisisset, ita tantummodo poena afficiendum fuisse, si hoc factum ipsius ignaviae tribui oporteret. Hoc enim, quamvis forte in ipsa lege non cautum, ratio tamen legis postulabat. Et prudentissime monet Plato Legg. XII. p. 943. sqq, armorum abjectionem non temere esse culpandam: ipseque ita demum eo nomine dari vult actionem, si quis adversus hostes stans armatus, sese non defendat nec pugnet, contra, sponte dedat arma vel abjiciat: ibid. p. 944. C. Nam quod vulgo indecorum ac turpe censetur, idem aliquando honestissimum, imo gloriosum est. Veluti de Lacedaemonio Brasida narratur a Diodoro Siculo XII. 62., T. I. p. 521., bello Peloponnesio Athenienses postquam Pylum occupassent et muniissent, hunc locum acerrime oppugnatum esse a Lacedaemoniis: quorum cum alios multos egregie sese gessisse, tum unum eorum Brasidam: cui viro, ad navis latus stanti, quum multos hostes interfecisset, tandem pluribus vulneribus debilitato clypeum ita de manu extra navem porrectâ decidisse, ut eo hostes potirentur. » Quae clypei amis» sio caeteris capitalis, ipsi etiam gloriosa fuit," ut ait Diodorus. Ubi poena *mortis*, si ex re quidem et vero memoretur, ad solos certe Lacedaemonios restringenda est, neque ad Athenienses reliquosve Graecos pertinet. Non enim admittenda sunt, quae ex his ipsis forte verbis, tum vero praesertim ex pluribus veterum Rhetorum

lecis, prodit Meursius Them. Attic. I. 9. p. 24., quasi is, *qui clypeum abjecisset*, item *qui ordines deseruisset*, Athenis morte fuissent puniti. Contrarium profecto vidimus: nec de legibus Atheniensium hoc loco dubitari potest. Illud sane Rhetorum testimonium eo fere modo cum testimonio Oratorum Atticorum aliorumque quos citavimus Scriptorum conciliandum putat Ez. Spanhemius, Observ. ad Julianum Or. I. p. 36. B., p. 239 sq., ut vel leges istae, a Rhetoribus allatae, post Oratorum aetatem sint latae: vel ut Rhetores ad aliarum gentium leges respexerint: vel denique ut eas ipsi finxerint. Nos, ut universe Rhetoribus istis non nimium tribuimus, ita hic quidem sententiam illam Spanhemii postremo loco memoratam, omnino nec dubitanter probamus. Nam in rei quidem naturâ positum est, belli duces, etiam Athenienses, aliquando in ipso periculo gravius et extra ordinem in milites suos animadvertisse: quod ipsum haud frequenter in illa gente usurpatum esse putamus: nonnumquam tamen in medio bello et extra patriam duriores leges ab imperatoribus latas esse, cum aliis exemplis patet, tum eo quod est apud Xenophontem Hist. Gr. I. 1. § 10. Sed haec quidem hactenus (1). Factum illud Brasidae, quod ex Diodoro Siculo memoravimus, jam prodiderat Thucydides IV. 12.

Et vero priusquam huic loco finem imponamus, elegans notandus est usus, quo is qui ad angustias redactus magnoque metu anxius premitur, *scutum abjicere* dicitur a Luciano in Jove Tragoedo, T. II. p. 687. Ὁ δ' ἡμέτερος ἀπορουμένῳ ἔοικε' δέδιε γοῦν, καὶ ὑποτρέμει, καὶ δῆλός ἐστὶν ἀποῤῥίψων τὴν ἀσπίδα, καὶ ἤδη περιβλέπεται οἷ παρεκδὺς ἀποδράσεται: »Noster vero dubitanti similis est: timet »enim, et subtremescit, et manifestum est eum scutum »abjecturum, et jam circumspicit quo latitans aufugiat."

(1) Cf. et supra Cap. XIII. in fin. in not. p. 101.

Neque reticenda videntur verba Aristophanis, cum hoc argumento satis conjuncta: neque judicium quod de iis tulit vetus Grammaticus. Igitur apud Aristophanem Plut. v. 431. sqq. depingitur Blepsidemus ad Paupertatis adspectum fugam meditans: quam quum turpem pronunciasset Chremylus, Paupertatemque potius oppugnandam esse dixisset; huic ergo respondet Blepsidemus, de Paupertate loquens:

Οἵοισιν ὅπλοις ἢ δυνάμει πεποιθότες;
Ποῖον γὰρ οὐ θώρακα, ποίαν ἀσπίδα
Οὐκ ἐνέχυρον τίθησιν ἡ μιαρωτάτη;

» Quibusnam armis aut potentiae confiditis?
» Quem enim thoracem, quem clypeum
» Non oppignoravit sceleratissima?"

Ad quem locum ait Scholiastes, leges significari ab Aristophane prohibentes *ne arma oppignorarentur*. Rem istam, quae, quantum scio, de Atheniensibus quidem, alibi non proditur, hinc item memorat Petitus VIII. 1. N°. 6. Comm. p. 663, eamdem Romanorum exemplo apposite illustrans. Et de his profecto, cum ex L. L. 3. § 13, 14. § 1. D. De Re Milit., tum aliunde, satis constat, armorum amissionem vel alienationem subinde verberibus castigatam, aliquando ipsi desertioni exaequatam et capite fuisse punitam: ita tamen, ut poena fere arbitraria fuisse videatur. Quod quidem eo valet, ut quamquam de Atheniensibus neque ab aliis Scriptoribus referatur, neque ab Aristophane vel ab ipsius Scholiaste poena hujus criminis quaenam apud eos fuerit tradatur: illud tamen huic Grammatico credamus, crimen fuisse legibus punitum, verisimiliter, ut apud Romanos, caeteris hujusmodi criminibus de re militari aequiparatum.

A qua occasione haud alienum erit verbo notasse, juvenes Athenienses, in militiam conscriptos, arma, certe scutum et hastam, teste Aristotele De Rep. Atheniensium,

a populo ipso in concione accepisse: haec arma a Lycurgo Oratore, loco, quem antea integrum apposuimus, In Leocrat. p. 189., et quidem legis ipsius verbis; *ἱερὰ*, *sacra*, vocari: denique, ut ibidem a Lycurgo proditur, hoc item in sacramento militari positum fuisse, *sacra illa arma cives non dedecoraturos: μήτε ἱερὰ ὅπλα παραισχυνεῖν*. Ergo haec armorum sanctitas, item Romanorum leges, majorem, nobis judicibus, quam Scholiastis testimonium, legi illi addunt auctoritatem.

CAPUT XVIII.

Δειλία.

Delicta militum quae adhuc recensuimus, varia quamvis et inter se diversa, pleraque tamen ex timiditate et ignavia originem habent, ejusque vitii tamquam generis non nisi formae quaedam sunt peculiares. Jam vero quum has omnes lex persequi non posset, ipsam quoque *timiditatem*, δειλίαν, universe notavit, eoque nomine dedit actionem. Cujus mentio cum apud Andocidem, loco illo illustri p. 35, tum item exstat apud Aristophanem Acharn. v. 1128: Platonem Alcib. I. p. 122. A. (1): Aelianum De Nat. Animal. IV. 1. fin.: et vero plenius in Lysiae Orationibus XIV et XV, adversus Alcibiadem scriptae, quae quidem totae versantur, ut jam supra animadvertimus, in eo viro λειποταξίου, ἀστρατείας, ac δειλίας accusando. Et δειλίας quidem eum teneri ait propterea, quod quamvis inter pedites esset conscriptus, et unumquemque inter hos militare oporteret, ipse tamen

(1) Optima et certissimâ emendatione h. l. reposuit δειλὸν Heusdius Spec. Crit. in Platon. p. 112, quum antea vitiose legeretur δοῦλον. Contraria ratione δειλὸς in δοῦλος mutavit ibidem, apud eumdem, Platonem, Legg. III. p. 699. C. Et simile mendum invaserat Pseudo-Plutarchum Vit. X. Orat., ubi pro δουλείας reposuit δειλίας Taylorus Praefat. ad Lycurg. fin. Vol. IV. p. 134. Orat. Reiskii.

sagittariorum vilissimam militiam equestrem sibi elegisset: nam hanc quidem inanem excusationem esse, quod in expeditione illa nullum proelium intervenisset, indeque nonnulli contenderent accusationi non esse locum: contra, ad omnes legem pertinere, qui exercitui non adfuissent cui ipsis esset imperatum. Qua in re bifariam peccasse videtur Alcibiades: cum quod equitibus sese immiscuerat, qui nec prius equo meruisset, neque inter equites recensitus, *δοκιμασθεὶς*, esset: quod ipsum factum disertis verbis *ἀτιμίᾳ* notabat lex (1): tum quod in eam expeditionem equo erat profectus, cui omnes cives edictum fuerat ut pedibus adessent. Utrumque hominis erat imbellis ejusdem ac petulantis, qui hostes metueret, cives ipse suos legesque patrias despiceret. Idque saepius illis fiebat temporibus; quippe quum jam tum leges a multis negligerentur: equitatus autem minus periculi habere putaretur quam acies pedestris. Videatur Lysias l. c., in primis p. 520—524: tum Orat. XVI. p. 578.

Quod vero diximus, accusationem *δειλίας* ad omnes pertinuisse, qui qualicumque tandem modo timiditatis specimen edidissent, hoc in primis perspicuum est ex loco Æschinis In Ctesiph. p. 565. sq. Nam postquam narrasset, Solonem easdem statuisse poenas in militiae detrectatorem, et in aciei desertorem, et in *ignavum*, *δειλὸν*, tum ita fere pergit: »Mirari fortasse nonnullos, »quod naturae sint accusationes, *εἰ εἰσι φύσεως γραφαὶ*:

(1) Sic enim Lysias ibid. p. 523: *νόμου κελεύοντος, ἐάν τις ἀδοκίμαστος ἱππεύῃ, ἄτιμον εἶναι:* »lege jubente, si quis non recensitus equo mereret, (eum) infamem esse.“ — Quod paullo post additur de Alcibiade: hunc legitimam militiam pedestrem detrectasse, quippe qui tanta fuerit nequitia, ut maluerit *καὶ ἄτιμος εἶναι, καὶ τὰ χρήματ' αὐτοῦ δημευθῆναι:* quod hic ergo additur *de bonis publicandis*, id cum caeteris Veterum locis haud satis convenire videtur: ut recte observat Meierus Hist. J. Att. de Bon. damnat. p. 124. sq.

» re tamen verâ ejusmodi esse accusationes, propterea » institutas, ut unusquisque civium, magis poenas legum » timens quam hostes, eo melior patriae propugnator » exsistat." Lex itaque notabat omnem universe δειλίαν· quae quidem ab Aristotele de Virtut. et Vit. p. 373. E. definitur κακία τοῦ θυμοειδοῦς, καθ' ἣν ἐκπλήττονται ὑπὸ φόβων, καὶ μάλιςα τῶν περὶ θάνατον· » mala affectio par» tis animosae, per quam percelluntur a metibus, et » maxime ab iis qui mortem attinent." In hoc ipso vitio describendo versatur Theophrastus Characterum Capite 25: ubi dicitur esse *animi dejectio quaedam meticulosa:* ἀμέλει δὲ ἡ δειλία δόξειεν ἂν εἶναι ὕπειξις τῆς ψυχῆς ἔμφοβος· ad quem locum Casaubonus alias ex Andronico et ex Platone definitiones adfert. Caeterum hominem ejusmodi, qualem se in navigatione, qualem se in castris gerat, breviter, et simul, ut solet, efficaciter notat Theophrastus, et in acie quidem in omnes partes anxie circumspicientem depingit, clamore pugnâque perterritum, spatham, quam antea de industria in tentorio abscondisset, sese oblitum esse simulantem, vulneratos adeuntem et curantem, omnia omnino facientem et quaerentem, modo ne pugnare necesse habeat. Exstat item δειλοῦ in proelio egregia notatio apud Homerum Iliad. XIII. v. 278. sqq.

Nec tamen nisi viros philosophos re vera esse fortes, apud Platonem in Phaedone, ed. Stephan. 1578. Tom. I. p. 68. D., p. 20. sq. ed. Wytt., disputat Socrates ille; quippe quum reliqui omnes mortem malum esse existiment, itaque hanc non sustineant nisi majorum malorum formidine, ut fortes exsistant ipso metu vel timiditate, δέει ἢ δειλίᾳ.

CAPUT XIX.

Falsum testimonium: ἐπίσκηψις ψευδομαρτυριῶν. Μαρτυρεῖν· ἐκμαρτυρεῖν· ἀκοὴν μαρτυρεῖν. Actio κακοτεχνιῶν. Cujusmodi falsum testimonium lege punitum. Delicti frequentia.

Si quis *in judicio falsum testimonium dixisset*, adversus hunc dabatur actio, δίκη ψευδομαρτυριῶν: idque proprie ἐπισκήψασθαι τῶν ψευδομαρτυριῶν, simpliciter etiam ἐπισκήψασθαι seu ἐπισκήψασθαι τῇ μαρτυρίᾳ vel τῷ μάρτυρι, ipsa actio seu exceptio ἐπίσκηψις ψευδομαρτυριῶν vocabatur. Veluti Δίκαι ψευδομαρτυριῶν est his apud Isaeum Or. X. p. 296: tum apud Demosthenem In Euerg. et Mnesibul. p. 1139. 2. — Ἐπισκήψασθαι τῶν ψευδομαρτυριῶν, apud Demosthenem In Aphob. III. p. 846. fin. p. 856. 21: p. 861. 12: Adv. Timoth. p. 1201. 5: Adv. Callipp. p. 1243. 25: item apud Æschinem In Timarch. p. 142.: (ex correctione quidem Reiskii, quae omnino probanda videtur; quum antea scriptum esset ἐπισκήψαι· hoc autem verbum in activo, Reiskio recte animadvertente, sit *imperare*, *mandare*: contra, pro *reum agere*, *insimulare*, ut hoc loco sensus postulat, solummodo in medio usurpetur). — Ψευδομαρτυριῶν ἐπισκήψεις dicuntur ab Isaeo Or. III. p. 76. 18. — De testimonio, μαρτυρίᾳ, dixit Dinarchus In Demosth. p. 39.: οὐδεὶς ἐπεσκήψατο ὡς ψευδεῖ οὔσῃ· item ἐπισκήψασθαι τῇ μαρτυρίᾳ, et ταῖς

μαρτυρίαις, usurpavit Isaeus Orat. II. p. 20. fin.: p. 21. 3.: Demosthenes In Euerg. et Mnesibul. p. 1139. 7.: et *οἷς ἐπεσκήψατο τῶν μαρτύρων*, idem Isaeus Or. IV. p. 92.: *ἐπισκηψάμενος τῷ μάρτυρι*, Lysias Or. XXIII. p. 736. pen. — *Ἐπισκήψασθαί τινι* simpliciter ponitur hoc sensu a Demosthene In Aphob. III. p. 854. 15: Adv. Apaturium p. 904. 12. — De eo qui caussa cadat, *ψευδομαρτυριῶν ἁλῶναι* dixit Lysias In Theomnest. p. 368: Æschines In Timarch. p. 107.: *ὄφλειν*, Andocides De Myster. p. 35. Contra, de actore, *αἱρεῖν ψευδομαρτυριῶν* scriptum ut apud Isaeum De Dicaeogenis Heredit. p. 99. —

Et hujusmodi quidem reo, damnato, poena erat *ἀτιμίας*. Quae lex in ipsâ quasi naturâ posita neque injuriâ a Cicerone Legg. II. 9. inter leges de jure divino relata esse videtur, ut *perjurii poena divina, exitium* sit: *humana, dedecus*. De Atheniensibus quidem multa exstant ac diserta Scriptorum loca: veluti Antiphontis Orat. V. p. 653: *Οἱ μὲν γὰρ (ἐλεύθεροι) ἀτιμοῦνταί τε, καὶ χρήμασι ζημιοῦνται, ἐὰν μὴ τἀληθῆ δοκῶσι μαρτυρῆσαι:* »Nam li»beri quidem homines et infamiâ afficiuntur, et pecu»niâ plectuntur, si videantur non vera esse testati." Item Lysias In Theomnest. p. 366. et p. 368. Dionysii cujusdam meminit, qui quum adversus reum scuti abjecti testatus esset, hic eum in judicio falsi testimonii accusavit, eoque nomine damnatum *ἠτίμωσε*. Isaeus De Dicaeogenis Heredit. p. 99. testimonium adfert, quo testes aiunt se potuisse Leocharem, *ἐπειδὴ εἵλομεν ψευδομαρτυριῶν, ἀτιμῶσαι*. Similiter Demosthenes In Aphob. III. p. 859. 14., ubi Phanum reum hujus criminis defendit, eum periclitari dicit *περὶ τῆς ἐπιτιμίας*.

Alius est Demosthenis in eadem Oratione locus, p. 849, quem etiam huc pertinere puto. Pluribus demonstrat rationibus Orator, quoddam olim ab Aphobi fratre Æsio dictum esse testimonium, quod nunc, in judicio memo-

ratum, idem infitiaretur. Rem cum aliunde confirmat, tum ex eo ut dicat, Æsium, si praesens in judicio testimonium falso tamquam suum recitari audiisset: (nam testimonio recitando ipsum adfuisse constabat:) illud statim haud dubio negaturum fuisse. »Tum," addit, »non »quievisset ille," *ἀλλὰ δίκην ἄν μοι βλάβης ἔλαχεν, εἰ ψευδομαρτυριῶν ὑπόδικον αὐτὸν ἐποίουν κατ' ἀδελφοῦ, οὐ προςῆκον, ἐν ᾗ καὶ περὶ χρημάτων, καὶ περὶ ἀτιμίας ἄνθρωποι κινδυνεύουσιν.* Quae posteriora verba videri possint ad *δίκην βλάβης* referenda, ut inde pendeat vocula *ᾗ*. Sed primum, si ita accipiamus, nescio quomodo tota sententia friget. Nihil huc pertinebat referre, cujusmodi esset actio *βλάβης*; ut ineptum sit totum illud appendiculum: quales ineptiae a Demosthene quidem longe sunt alienissimae. Contra, si haec ad actionem falsi testimonii retulerimus, non modo bene convenient huic loco, sed quodammodo necessaria videntur; ut haud facile ea Demosthenes omiserit, quippe quae valeant in primis ad illud quod vellet demonstrandum, id est: Æsium certissime vindictam petiturum fuisse ab eo cujus operâ ipse in suspicionem falsi testimonii venisset. Quo majori enim haec suspicio conjuncta esset periculo, eo firmior quoque ea ratio erat censenda. Tum vero, ut notissimum est, et ab Antiphonte, loco paulum ante a nobis citato, diserte proditur, falsos testes cum pecuniâ tum infamiâ fuisse mulctatos, ita de actione *βλάβης* idem a veri similitudine prorsus abhorret, quippe quae actio esset privata, ob damnum injuriâ datum, eaque aut in duplum aut in simplum: conferatur Demosthenes In Mid. p. 522. fin. p. 527. fin. et p. 528. Neque alienum erit hic verbo memorasse, apud Romanos item *damnum injuria datum:* quae actio quodammodo conveniebat cum actione *βλάβης*, ab eaque forte repetenda sit, quamquam multo latius spectabat: hanc igitur actionem numquam

damnatis infamiam irrogasse. Verum, ut ad rem praesentem redeamus, accedit tandem, ab ipso Demosthene Adv. Euerg. et Mnesibul. p. 1139. tradi, gravissimas in falsos testes, levissimas contra in accusatorem si caussâ caderet, poenas esse statutas. Ergo nos quidem particulam ἢ referimus ad illa ψευδομαρτυριῶν γραφῇ· (quae posterior vox, ut alibi saepius, ita hic quoque omittitur:) Demosthenemque ita fere vertimus: »Tum non quievisset »ille, sed actionem damni injuria dati mihi intulisset, »si ipsum injuste reum fecissem falsi testimonii adversus »fratrem dicti, qua (accusatione falsi testimonii) homines »periclitantur et de bonis et de infamia."

His itaque omnibus locis ἀτιμία simpliciter memoràtur tamquam poena in falsos testes statuta. Quod quo modò conveniat cum loco Andocidis illo, De Myster. p. 35., supra Cap. II. ipsoque hujus disputationis initio p. 8. a nobis allato, ubi ait, ἀτίμους fuisse, ὅποσοι τρὶς ψευδομαρτυριῶν ἑάλωσαν, »qui *ter* falsi testimonii essent damnati," id me diu non satis intellexisse, lubenter fateor. Nam si quidem, quod Andocides refert, Athenis re vera obtinuit, ut istâ legis poenâ duntaxat tenerentur ii qui falsi testimonii vel falsae citationis *ter* essent damnati; quidni hoc item significatum reperimus ac probatum in singulis ejusmodi accusationibus? Neque enim profecto, ut ἀτιμία irrogaretur, sufficiebat ostendisse crimen ipsum, sed insuper ostendere oportebat, eumdem reum jam antea bis eodem hoc crimine fuisse damnatum. Quod tamen nullibi apud Oratores Atticos, quamvis saepius haec delicta memorantes, factum reperimus. — Unum novi Platonem, qui Legg. XI. p. 936. E. — p. 937. C., unumquemque ad testimonium dandum cogi posse statuit, nisi apud judicem juret, se, quod rogatur, nescire: quodsi vero probetur bis falsum testimonium dixisse, ab ea necessitate ipsum immunem fore: si *ter* falsum testi-

monium dixerit, ne quidem ipsi licere amplius dare testimonium: imo, si contra fecerit, a quolibet ipsum accusari posse: damnatum, morti esse tradendum. Et celebratâ lege istâ adversus *inertes*, Solon item, teste Lysia, statuit *ἀτιμίαν* contra eum demum qui tertio damnaretur, prima alteraque vice mulctis tantummodo impositis: vid. infra Cap. XXXI. — Quod quidem utrumque tantam habet vim, ut et hoc loco, quamvis mirum sit illud Oratorum silentium, in Andocidis tamen auctoritate omnino acquiescendum putemus.

Ut vero simplex *ψευδομαρτυρεῖν*, veluti apud Demosthenem In Aphob. III. p. 851. 13., frequentius *ψευδομαρτυρία*, de testibus usurpantur falsa testantibus: simili ratione scriptum est apud Xenophontem Apolog. Socr. § 24. *καταψευδομαρτυρεῖν τινος*, *falsum testimonium contra aliquem dicere:* et apud Isaeum Or. IV. p. 91: Demosthenem In Stephan. I. init. p. 1101, aliisque locis, *καταψευδομαρτυρεῖσθαι*, *falsis testibus praegravari*, *obrui*, *opprimi*.

Caeterum hac lege *τῶν ψευδομαρτυριῶν* agi quoque poterat in eos, qui quum ex Attica abessent (*ὑπερόριοι*) (1),

(1) *Ὑπερόριον* adjective dicitur *quod super montes*, i. e. *quod extra Atticam* est. Itaque *τὰ ὑπερόρια* magis proprie vocantur *possessiones extra terram Atticam sitae*, veluti a Xenophonte Symp. 4 § 31: *ἀποδημία εἰς τὴν ὑπερορίαν* dicitur *peregrinatio extra terram Atticam*, a Demosthene Adv. Leochar. p. 1086. 11: similiter *οἱ ἐκ τῆς ὑπερορίας*, *qui extra Atticam habitant*, item *εἰς τὴν ὑπερορίαν ἐξῴκησε*, *extra terram Atticam habitatum concessit*, scripta sunt apud Lysiam Or. XXXI. p. 873. Haud dissimili ratione dixit Æschines, De Fals. Leg. p. 231: *τὴν ὑπερόριον λαλιὰν ἀγαπῶντες ἐν τοῖς οἰκείοις πράγμασιν*, *fabellam extraneam*, (*i. e. de rebus externis*) *amplectentes in rebus domesticis:* et In Timarch. p. 45., item p. 47., invicem sibi opposuit *ἀρχὴν μήτ' ἔνδημον μήτε ὑπερόριον*, *magistratum neque domi nec foris gerundum*. Isaeus quoque Or. III. p. 68 et 80. *τὴν ὑπερορίαν* vocat *terram extraneam*, *quae extra Atticam sita est:* item Andocides De Pace p. 107. pr.:

vel adversa valetudine laborarent (ἀδύνατοι) (1), ipsi quidem in judicio testes non adfuissent, quorum tamen testimonium, in tabula scriptum, ibidem esset recitatum, idque tamquam suum agnovissent. Qui, ut alii testes μαρτυρεῖν, sic ipsi ἐκμαρτυρεῖν dicebantur (2). Cujusmodi

ut contra Attica terra dicitur γῆ ἐντὸς ὅρων a Dinarcho In Demosth. p. 51. 5. Hinc est verbum ὑπερορίζειν, quod de *deportatione extra Atticam* aliquoties usurpat Æschines, cujus loca Reiskius in Indice notavit.

(1) Ἀδύνατοι proprie vocabantur Athenis, qui vitio corporis aliquo laborabant, ut artem exercere non possent: quibus ex instituto Solonis publice stipendium dabatur. Eaque de re exstat Oratio Lysiae XXIV. p. 738. sqq., pro ejusmodi ἀδυνάτῳ scripta, quem accusator tam imbecillem esse negaret ut stipendium ei esset dandum. Cf. et Taylorus in notis ad d. Orat. pr. ibiq. citt.: addatur Æschines In Timarch. p. 122. Siquidem vero illi tantum ἀδύνατοι hujus legis beneficio uti possent, qui cum adversa valetudine laborarent, tum simul pauperes essent; hinc apud Scriptores Atticos eodem nomine vocantur universe *pauperes*, iisque opponuntur οἱ δυνατοί, cives *divites, potentes, nobiles:* qua significatione οἱ δυνατοί et scriptum est a Thucydide III. 27: eodemque modo et intelligendum et vero scribendum est apud Athenaeum VI. 239. E., cui hanc vocem rectissime restituit Valckenarius Schol. ad Act. Apost. 8. 29. Tom. I. p. 440, quum ibidem antea vitiose legeretur δυνάςων. Simili ratione nomineque cognato οἱ δυνάμενοι dicuntur a Xenophonte Hist. Gr. VII. 4. § 34: I. 4. § 6: quo posteriori loco item scriptum est τὸ τῆς πόλεως δυνατὸν, *opes civitatis.* De iis vero, qui Athenis nominarentur ἀδύνατοι: item de stipendio publice ipsis dato: quod institutum Atheniensium proprium fuisse videtur: de his igitur accurate scripsit Böeckhius T. I. p. 260. sqq. Alio sensu, nec minus tamen cum primariâ vocis significatione conjuncto, τὸ ἀδύνατον usurpatur a Demosthene De Coron. p. 238, 12, vertique possit *impossibile, excusatio legitima*, quo loco ipsis cujusdam psephismatis verbis refertur, si quis contra fecerit, eum proditionis poenis teneri: *nisi ostendat excusationem legitimam apud se adesse*, ἐὰν μήτι ἀδύνατον ἐπιδεικνύῃ περὶ ἑαυτὸν ὄν. περὶ δὲ τῶν ἀδυνάτων ἐπικρινέτω ὁ ἐπὶ τῶν ὅπλων ςρατηγός: *de excusationibus vero judicet belli dux.*

(2) Utriusque hujus dictionis exemplum est apud Demosthenem

ἐκμαρτυρίαν, nisi eorum, id est nisi vel aegrorum, vel absentium, vel denique ad iter longinquum se accingentium, adferri vetabat lex (1). Quodsi quis testimonium alius praeter illorum recitasset: item si testatus esset de eo quod ex alio homine qui adhuc viveret: (nam de mortuo licebat:) duntaxat audivisset: aut si ipse sibi testimonium dixisset: omnino, si aliter, quam leges sinerent, in jure esset testatus; is etiam poenâ falsi testis tenebatur. De quibus omnibus legendus est in primis Demosthenes In Stephan. II. p. 1130—1132: conferri potest Idem Adv. Leochar. p. 1097. init. Et vero *testimonium de auditione* non admissum fuisse Jure Attico,

Adv. Lacrit. p. 929. *'Εκμαρτυρία* et *ἐκμαρτυρεῖν* quoque scripta sunt apud Æschinem De Fals. Legat. p. 203: Isaeum Or. II. p. 26, 29. 31: eadem significatione. Magis dubitatur quo modo accipiendum sit *ἐκμαρτυρῆσαι* apud Æschinem In Timarch. p. 126. De testimoniis defuncti idem Isaeus ibid. p. 63. usurpavit *ἐκμαρτυριῶν*. Nec reticendum est quod ait Ammonius v. *'Εκμαρτυρία*. *Μαρτυρίας ἔν τισι διαφέρει, δηλοῖ Δείναρχος ἐν τῷ κατὰ Κλεομέδοντος, λέγων, 'Αναγνώσεται δὲ τῶν μὲν ἐπιδημέντων τὰς μαρτυρίας, τῶν δὲ ἀποδημέντων ἐκμαρτυρίας*. Et vero *ἀποδημεῖν* et *ἐπιδημεῖν* simili sensu de civi Atheniensi dicuntur sibique invicem opponuntur a Xenophonte Sympos. 4. § 31., Demosthene In Olympiodor. p. 1173—1175, aliis; ut prius *patriâ, Urbe abesse, absentem esse, ἐπιδημεῖν praesentem esse, in Urbe adesse*, significet. Eaque notione utraque vox saepius a Scriptoribus Atticis usurpatur: veluti subinde a Lysia, Æschine, Demosthene: tum ab Antiphonte Or. XIV. p. 717. 9: XV. p. 790. 5: Isaeo Or. III. p. 83: item VIII. p. 243, ubi quum antea legeretur *ἀποδημοίη*, Reiskius bene reposuisse videtur *ἐπιδημοίη*: tum item *ἀποδημία* apud Andocidem In Alcib. p. 127. simili sensu occurrit. Paullo aliter Demosthenes In Neaer. 1357. 9: *ξένων δὲ ὃ πάνυ ἐπιδημία ἦν αὐτόθε*, non de Athenis, ut omnibus illis locis, verum de Megara dixit.

(1) Ægris et absentibus addidimus eos qui iter longinquum sint instituturi, propter locum Isaci Or. II. p. 26. pr., ubi praesentium in Urbe *ἐκμαρτυρίαν* memorat *τῶν ἀσθενέντων ἢ τῶν ἀποδημεῖν μελλόντων*.

testatur idem Demosthenes Adv. Eubulid. p. 1300. 16: Οὐδὲ μαρτυρεῖν ἀκοὴν ἐῶσιν οἱ νόμοι, οὐδ' ἐπὶ τοῖς πάνυ φαύλοις ἐγκλήμασιν: »Neque auditionem testari sinunt »leges, ne quidem super querelis admodum tenuibus." Quod tamen ita demum non licebat, nisi si quis testimonio in jure dicto illud diserte adderet, sese, quod testaretur, hoc ex alio audivisse. Idque cum per se satis perspicuum est, tum vero proditur ab Isaeo Or. V. p. 150, hoc modo judices alloquente: Οἷς μὲν γάρ τις παρεγένετο, δίκαιον, ὦ ἄνδρες, μαρτυρεῖν· οἷς δὲ μὴ παρεγένετο, ἀλλ' ἤκουσέ τινος, ἀκοὴν μαρτυρεῖν· »Quibus enim »vero quis adfuit, justum, o viri, (de iis) testari: qui»bus autem non adfuit, sed (quae) a quoquam audivit, »(de iis) auditionem testari." Eodem sensu ἀκοὴν μαρτυρεῖν usurpatur ab eodem Isaeo Or. VII. p. 204 et 213. Ibidemque p. 197. res olim gestae et res praesentes memorantur sibique invicem opponuntur: additur hasce probandas esse indiciis et testibus, illas λόγων ἀκοῇ καὶ μαρτύρων, *auditione sermonum et testium.*

Hic item memoranda est actio κακοτεχνιῶν, in illum qui dolo malo falsos testes, aut ejusmodi quos non liceret, aut item sponsiones quae factae non essent, in judicio produxisset. Actionem eam, nomine quidem κακοτεχνιῶν, duplici memorat loco Demosthenes: altero, Adv. Euerg. et Mnesib. p. 1139: altero, Adv. Timoth. p. 1201. Utrumque locum significat Harpocration in v.: ubi minime cum Salmasio Obss. ad Jus Att. et Rom. p. 295 et 841. pro κακοτεχνιῶν legendum est κακοτεχνίου, ex Polluce VIII. 37: conferatur Heraldus Animadv. ad Jus Attic. et Rom. VI. 11. p. 464. Sed de hac quidem actione, et omnino de significatione τοῦ κακοτεχνεῖν, legendus est idem Heraldus De Rer. Judic. Auctorit. I. 3: cui addi potest Valesius ad Harpocrat. p. 42: conferri in primis merentur, qui nuper de ea scripserunt, Plat-

ner. Der Process und die Klagen bei den Attikern I. 10. c. 2 tit. 1. p. 413. sqq.: Meier u. Schoemann, Der Attische Process. p. 385. sqq. Illud notandum est, hujus criminis poenam eamdem, in eadem caussa, quam falsi testimonii, fuisse videri: quod cum ex re ipsa magnam veri speciem habet, tum idem certo fere colligimus ex loco Demosthenis qui est Adv. Stephan. II. p. 1132. init. Et is quidem qui testem producit, proprio nomine ibi vocatur ὁ προβαλλόμενος, vel, ut Reiskius corrigit, ὁ πρόβαλλόμενος: qua appellatione, eodem sensu, utitur quoque Demosthenes In Euerg. et Mnesib. p. 1139. 10.

Quod vero ab initio diximus, poenam lege sanciri in falsum testimonium *in judicio* dictum: hoc ita intelligendum est, ut tantummodo ad *tribunalia*, δικαςήρια, non item pertineat ad *judicem minorem*, διαιτητήν. Demosthenes quidem, Adv. Phormion. p. 913, illu satis diserte significat: quo loco, adversarium accusans quod apud διαιτητὴν falsum testimonium dixisset, porro addit: Οὐ γὰρ ὅμοιόν ἐςιν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, εἰς τὰ ὑμέτερα πρόσωπα ἐμβλέποντα τὰ ψευδῆ μαρτυρεῖν, καὶ πρὸς διαιτητῇ. παρ ὑμῖν μὲν γὰρ ὀργὴ μεγάλη καὶ τιμωρία ὑπόκειται τοῖς τὰ ψευδῆ μαρτυροῦσι· πρὸς δὲ τῷ διαιτητῇ, ἀκινδύνως καὶ ἀναισχύντως μαρτυροῦσιν ὅ, τι ἂν βούλωνται. »Non enim simile est, o viri Athenienses, utrum quis »vestros vultus adspiciens falsa testetur, an apud arbi»trum. Apud vos enim, magna ira et poena manent »falsa testantes. Apud arbitrum vero, impune et impu»denter testantur quidquid velint." Neque ea lege tenebantur illi qui amicorum aliorumve caussam oratione tuebantur. Ad quod discrimen inter caussarum patronum ac testem respicit Æschines De Fals. Leg. p. 333. sqq. Κάλει —— Φωκίωνα τὸν ςρατηγὸν, μήπω συνήγορον, ἂν μὴ τούτοις συνδοκῇ, ἀλλ' ὑπεύθυνον τῷ συκοφάντῃ μάρτυρα ἂν ψεύδηται: »Advoca —— Phocionem ducem, non amplius

» caussae patronum, si neque ipsis ita quoque videatur, » verum obnoxium sycophantae testem si mentiatur:" ubi ὑπεύθυνον τῷ συκοφάντῃ μάρτυρα dicit *obnoxium sycophantae testem*, ut συκοφάντης sit accusator qui rationes testimonii a Phocione teste exigere possit.

Sed quamquam igitur Athenis poenae in falsos testes statutae erant gravissimae, nihilo delictum illud minus frequens et quasi quotidianum esse coepit. Infinitum sit omnia hanc in rem veterum Scriptorum, praesertim Oratorum, loca recensere. Et de caussis, ex quibus ortus sit ille juris religionisque contemtus, alio loco quaedam diximus (1). Constat certe, frequentissimum Atticis legibus jusjurandum fuisse: quae ipsa jurisjurandi frequentia eo fere valet, ut ejus fides apud homines magnopere minuatur. Etenim verissime Theophrastus, Charact. c. 6.: » Cito jurare," inquit, » hominis est desipientis ac perditi," τοῦ ἀπονενοημένου· atque illud in notis stultae περιεργίας ab eodem Theophrasto ponitur, ubi juraturus sis, adstantibus affirmare, te saepius antea jurasse: cujusmodi affirmatio non modo jurantis fidem non augeat, contra, multum ab ea detrahat. Neque injuria profecto: si bene quidem praeceperit Hierocles: et sane optime praecepit: Σέβου τὸν ὅρκον, τῷ μὴ προχείρως αὐτῷ καταχρῆσθαι, ἵν' ἐθισθῇς εὐορκεῖν, ἐκ τοῦ μὴ ἐθισθῆναι ὀμνύναι· » Honora jusjurandum, ipso haud temere adhibendo, ut » adsuescas vere jurare, ex eo quod non adsuescas jurare."

Verum; ut ad Athenas revertamur, locus est Demosthenis, In Olympiodor. p. 1179, quem hic silentio praeterire non possumus. Is, pro quo scripta est Oratio, quique illud agit, ut sibi pars restituatur hereditatis cujusdam ab Olympiodoro, huic quidem in judicio adversus alios adjudicatae, sed de qua ipse pactum cum actore illo inierat, ut uter eam obtineret, communis esset: is igitur, quo pactum illud initum probet, cum aliis ar-

(1) In Thes. Jurid. Inaugur. L. B. 1811. p. 3 et 4.

gumentis, tum hoc utitur, Olympiodorum in isto judicio, se praesente, falsa multa adseruisse, omnino testes falsos subornasse, itaque victoriam reportasse: quem sibi facile fuisset refellere, nisi, ob pactum illud, hoc sibi minime expediisset. Qui locus, praesertim si reputemus eum depromtum esse ex oratione publice Athenis ad judices habita, illud profecto satis declarat, (si in re notissima testimonio indigeremus,) quam frequentia in eâ civitate crimina hujus generis fuerint. Et in eâdem tamen Orator omnium gravissimus Lycurgus, In Leocrat. p. 191. sq., loco pulcherrimo, postquam dixisset, jusjurandum esse, quod popularem ipsorum statum contineret, fidemque cum magistratui tum judici tum privato affirmanti adderet, hoc igitur ita sapienter a majoribus constitutum esse pronunciavit. *Τοὺς μὲν γὰρ ἀνθρώπους πολλοὶ ἤδη ἐξαπατήσαντες καὶ διαλαθόντες οὐ μόνον τῶν παρόντων κινδύνων ἀπελύθησαν, ἀλλὰ καὶ τὸν ἄλλον χρόνον ἀθῷοι τῶν ἀδικημάτων τούτων εἰσί· τοὺς δὲ θεοὺς οὔτ' ἂν ἐπιορκήσας τις λάθοι, οὔτ' ἂν ἐκφύγοι τὴν ἀπ' αὐτῶν τιμωρίαν· ἀλλ' εἰ μὴ αὐτός, οἱ παῖδές γε καὶ τὸ γένος ἅπαν τὸ τοῦ ἐπιορκήσαντος μεγάλοις ἀτυχήμασι περιπίπτει.* »Homines »enim, multi jam decipientes ac latentes, non tantum »praesentia pericula effugerunt, sed et reliquum tempus »frequentes sunt in ejusmodi delictis: deos autem neque »profecto pejerans quis lateat, neque ab iis poenam ef»fugiat: verum nisi ipse, liberi saltem et omne genus »pejerantis magnis calamitatibus incidit."

De qua opinione, vera an falsa, certe reipublicae utilissima, pejerantes vel ipsos vel eorum posteros criminis luere poenas, de hac igitur opinione, quam multis Scriptoribus adeoque populis communis fuerit, nunc pluribus tradere: res est cum per se notior, tum ab hoc loco remotior, quam ut ejus pleniorem expositionem non a nostro proposito alienam credamus.

CAPUT XX.

Ψευδοκλητεία.

Falsi testimonii crimini Andocides p. 35. aliud confestim crimen addit hoc: ἢ τρὶς ψευδομαρτυριῶν, inquit, ἢ τρὶς ψευδοκλητίας ὄφλοιεν. Et sane, ψευδοκλητήρων quoque plenas fuisse Athenas, ex Theopompo refertur apud Athenaeum VI. p. 254. B: Θεόπομπός φησι πλήρεις εἶναι τὰς Ἀθήνας διονυσοκολάκων καὶ ναυτῶν καὶ λωποδυτῶν, ἔτι καὶ ψευδομαρτύρων καὶ συκοφάντων καὶ ψευδοκλητήρων: »Theo»pompus ait plenas esse Athenas Bacchi cultorum et »nautarum et saccülariorum, tum et falsorum testium »et sycophantarum et ψευδοκλητήρων." Quamquam hodieque mentio hujus delicti non fere nisi apud Grammaticos exstet, neque in Oratoribus Atticis, praeter Andocidis illum, nisi unum noverim, qui huc pertineat, Demosthenis locum. Quo magis operae pretium erit ipsius vocis ψευδοκλητείας originem breviter notare, eaque ratione, collato Demosthenis loco, vim vocis, quantum quidem id a me fieri poterit, illustrare.

Igitur καλεῖν apud Scriptores Atticos: (nam hi nobis potissimum spectandi sunt:) cum alias plures significationes habet magis notas, et de quibus hoc loco non opus est dicere: tum aliquando ita scriptum est de magistratu partes ad forum suum caussae dicendae ergo vocante vel admittente: veluti apud Demosthenem De

Fals. Legat. p. 406, 27: p. 407, 5. Ab eodemque In Theocrin. p. 1336. 9. mentio fit *καλουμένης τῆς γραφῆς*, quum actores, una cum reis, a judice citantur. Plenius est apud Xenophontem Apolog. Socr. init. *καλεῖν εἰς τὴν δίκην*· et apud Demosthenem In Theocrin. p. 1324. 12. *καλεῖν εἰς τὴν ἀνάκρισιν*· quae quomodo invicem differant, postea Cap. XLI. videbimus. Idque ipsum, *τὸ καλεῖν*, fere dici solet *κλῆσις*. Nonnumquam et ita vocatur *citatio in jus*, *citatio apud magistratum qui jurisdictioni praeest*: verbi caussa, apud Demosthenem In Aristocrat. p. 640. 25., collato v. 22., quem locum respicit Harpocration in v.: magis etiam perspicue apud Antiphontem Or. XV. p. 784: Xenophontem Hist. Gr. I. 7. § 8: Aristophanem Nub. v. 1191: Dionysium Halicarnassensem in Isaeo p. 109. 10, Vol. VII. Oratt. Gr. R. p. 346 init.: ubi eadem vox *κλήσει* item paullo ante pro vitiosa *λύσει* reponenda est cum Valesio Ad Harpocrat. p. 140. Et hoc item sensu accipienda videtur apud Æschinem In Timarch. p. 63.: cui tamen mendum quoddam subest, necdum Interpretum quisquam id satis expedivit. (1). Frequentius vero quam *κλῆσις*, hac significatione usurpatur *πρόσκλησις* et *προσκαλεῖσθαι*, eaque

(1) Æschinis verba, certissime corrupta, ex Pseudo-Plutarcheo loco, Vit. X. Oratt. p. 833 sq., a nobis supra Cap. V. p. 30. sqq. integro descripto, in primis corrigenda et ad sanitatem restituenda videntur. Vulgo sic legitur: *Τῶν ῥητόρων ἐάν τις λέγῃ ἐν βουλῇ, ἢ ἐν δήμῳ, κ. τ. λ.*· (plura deinceps recensentur facta, quibus Oratores, in Senatu vel in populo dicentes, contra decorum peccent:) — *κυριευέτωσαν οἱ πρόεδροι μέχρι ν' δραχμῶν εἰς ἕκαστον ἀδίκημα ἐπιγράφειν τοῖς πράκτορσιν. ἐὰν δὲ πλέονος ἄξιός ἐστι ζημίας, ἐπιβάλλοντες μέχρι ν' δραχμῶν, εἰσφερέτωσαν εἰς τὴν βουλήν, ἢ εἰς τὴν πρώτην ἐκκλησίαν, ἐν τῷ βουλευτηρίῳ. ὅταν διεξίωσι κλήσεις κρινάτωσαν. καὶ ἐὰν καταγνώσθῃ αὐτοῦ κρύβδην ψηφίζων ἐν τῶν βουλευτῶν, ἐγγραψάτωσαν οἱ πρόεδροι τοῖς πράκτορσι τῶν νόμων.* Varie hunc locum tentarunt Interpretes, de quibus non est

apud Oratores forma solennis est de illo qui alterum citat apud magistratus ad quos caussa pertinet: quorum ipsorum, ut modo vidimus, est κλῆσις· qui ipsi magistratus, partes ad se citantes, eas καλοῦσι· tum deinde caussam, si iis ita faciundum videatur, ad tribunal deferunt, εἰσάγουσιν εἰς τὸ δικαςήριον (1). Eodem vero sensu, quo caeterum προςκαλεῖσθαι, aliquando scriptum est

quod singulatim referamus. In fine quidem, Reiskius bene reposuisse videtur ψηφιζομένων τῶν βυλευτῶν· item duas postremas voces, τῶν νόμων, tamquam temere e proxime sequentibus iterata, expunxisse. Priora neque alii expediverunt Editores, neque Reiskius, qui locum hunc sibi caliginosum et inexplicabilem esse, et διεξιέναι κλήσεις quid sit, se ignorare, ingenue fatetur. Equidem legendum existimem: — εἰς τὴν πρώτην ἐκκλησίαν. ὅταν δ᾽ ἐξίωσι κλήσεις, ἐν τῷ βυλευτηρίῳ κρινάτωσαν. Nam et Plutarchus eodem sensu dicit, supra p. 31. 3.: εἰςαγόντων, ἐπειδὰν αἱ κλήσεις ἐξήκωσιν, εἰς τὸ δικαςήριον· quem locum antea explicuimus. Et vero haud dubio conjungenda sunt illa, ἐν τῷ βυλευτηρίῳ κρινάτωσαν· etenim cum ex iis quae proxime sequuntur, constat, ea de re, de qua agitur, a Senatoribus, adeoque in Curia, ἐν τῷ βυλευτηρίῳ, judicatum esse, tum hoc in lege diserte significandum erat, quando caeterum judicia non penes Curiam erant, sed penes Tribunal, τὸ δικαςήριον. Hanc ergo emendationem, ut loco sensus constet, omnino necessariam judicamus: item confirmari verbis Lysiae, Pro Milit. p. 323., ubi similiter scriptum est ἐξιούσης τῆς ἀρχῆς, *magistratu finito*. Nisi potius, puncto utique posito post vocem ἐκκλησίαν, dein legendum sit: καὶ ἐν τῷ βυλευτηρίῳ, ὅταν διεξίωσι κλήσεις, κρινάτωσαν. ut adeo ἐν τῷ βυλευτηρίῳ κρινάτωσαν similiter jungatur, tum vero διεξιέναι hoc loco novâ quadam, certe minus nota significatione, pro eodem fere ponatur, quod Plutarchus ἐξήκειν dixit, nos ἐξιέναι antea reddidimus. Quidquid sit, quum lex solis Senatus Praesidibus, προέδροις, ad certum usque modum, daret animadversionem in Oratores; mirum non est, eam ultra hunc modum judicia hisce de rebus commisisse Senatui, ut tamen ad concionem antea a Proëdris esset referendum, si quidem ibi peccatum esset.

(1) Minus recte Sluiterus Lect. Andoc. p. 92., ubi docet, ἐπίκληρον, licet quis eam auctoritate judicis in matrimonio haberet, tamen

κλητεύειν: veluti apud Demosthenem De Coron. p. 277. 15: item, ut puto, Adv. Zenothem. p. 890. 17. sq. Alioquin haec ita differunt, ut actor ipse προςκαλέσασθαι dicatur, id est, reum apud eos magistratus citare qui caussam in judicium deducant: contra, testes ipsi qui citationi adsunt eamque sua auctoritate confirmant, κλητεύειν dicantur, ipsi κλητῆρες seu κλήτορες vocentur qua de re classicus locus est Demosthenis In Euerg. et Mnesibul. p. 1147. Addatur Reiskius Ind. Demosth. v. κλητὴρ· item Harpocration v. κλητῆρες, qui hos, prorsus ut nos fecimus, definit homines, per quos illi qui actiones aliis intendunt, adversarios in judicium citant, προςκαλοῦνται, quosque velut testes illius citationis in judicio adesse oportet. Romani *subscriptores* vocabant: cf. Ernestus in Clavi Ciceron. in h. v. Quamquam latius patet κλητὴρ, nec ad *scriptas* tantum, sed item ad accusationes pertinet *ore delatas; adjutorem* potius vertas: idque ex pluribus Oratorum locis perspicuum est, quorum partim collegit Reiskius d. l., licet ipse ibidem *subscriptorem* dicat κλητῆρα· tum ratio grammatica hanc nostram diserte confirmat interpretationem. Κλητεῦσαι similiter Harpocration explicat, τὸ κλητῆρα γενέσθαι. Denique verbi κλητεύειν alia quoque est significatio, ab eodem Harpocratione l. c. notata, qua usurpatur de denunciandis iis, qui testes in judicium vocati, neque testimonium dicere, neque legitime ejurare volunt, quorum prius μαρτυρεῖν, alterum ἐξόμνυσθαι κατὰ

vindicari potuisse a cognato propiore: »Actionem," inquit, »hac »in re usitatam fuisse πρόσκλησιν sive πρόκλησιν, apparet ex De»mosthene Adv. Macart. p. 601. § 21." Atqui apud Demosthenem l. c., p. 1054. R., πρόσκλησις non est peculiare nomen speciei in caussa ἐπικλήρων, sed generale nomen citandi, *citatio*, et in eâ quidem caussa apud *Archontem*, siquidem ad hunc pertinebat cura τῶν ἐπικλήρων.

τὸν νόμον dicebatur; veluti apud Demosthenem De Fals. Legat. p. 396. 19: In Theocrin. p. 1324. 3: In Neaer. p. 1354. 3: Lycurgum In Leocrat. p. 151. Eorumque hominum poena erat mille drachmarum publico solvenda. Sic Lycurgus l. c. testes vocat, eosque admonet ut vel prompte et ingenue testimonium sibi oblatum reddant, vel illud rite et solenniter, *sacris prehensis*, λαβόντες τὰ ἱερὰ, ejurent: »quod nisi alterutrum testes faciant," inquit, κλητεύσομεν αὐτοὺς, »denunciabimus eos." Similiter κλητεύειν usurpatur a Demosthene In Neaer. p. 1354. 4. Item Æschines In Timarch. p. 71. Misgolam quemdam, testem a se vocatum, monet ut vera dicat: nam eâ ipsum impudentiâ haud facile fore, ut se quidem sistat, sed testimonium sibi ab Æschine delatum verissimum ejuret: illud igitur ipsum monet, nisi malit denunciari, ἐκκλευτηθῆναι, et mille drachmas publico solvere. Et hoc est quod ait Pollux VIII. s. 6: Τὸν οὐ βουλόμενον μαρτυρεῖν ἐκλήτευον, ἀνάγκην τοῦ μαρτυρῆσαι προςτιθέντες. ἔδει δὲ αὐτὸν ἢ μαρτυρεῖν, ἢ ἐξομόσασθαι ὡς οὐκ εἰδείη ἢ μὴ παρείη, ἢ χιλίας ἀποτίνειν. Κλητεύεσθαι μὲν οὖν ἐςι τὸ καλεῖσθαι εἰς μαρτυρίαν· ἐκκλητεύεσθαι δὲ τὸ δίκην ὀφείλειν, ἐπὶ τὸ τὰς χιλίας καταβαλεῖν. »Nolentem testari denunciabant, necessitatem testandi imponentes. Oportebat autem ipsum vel testimonium dicere, vel ejurare quod nesciret seu non adfuisset, vel mille (drachmas) solvere. Κλητεύεσθαι ergo quidem est vocari ad testimonium: ἐκκλητεύεσθαι autem litem debere, ad solutionem usque mille (drachmarum)."

Jam satis perspicuum est, ψευδοκλητείας, (seu ψευδοκλητίας, ut est apud Andocidem,) delictum esse τῶν τὰ ψευδῆ κεκλευτοκότων. Ut omnis quaestio versetur in eo, quonam modo κλητεύειν hic intelligendum sit. Illud igitur eruamus ex Demosthenis loco, quem supra sig-

nificavimus, et qui est Adv. Nicostrat. p. 1251. sq.: nam ab interpretum nemine novimus factum.

Ψευδοκλητείας bis ibidem meminit Demosthenes: p. 1251. 20: p. 1252. 6. Et hic quidem simpliciter ψευδοκλητείας γραφὴν actor caussae instituisse se ait adversus Arethusium quemdam. Sed priori loco plenius: ἐβάδιζον ἐπὶ τὸν κλητῆρα τὸν ὁμολογοῦντα κεκλευτηκέναι, τὸν Ἀρεθούσιον, τῆς ψευδοκλητείας κατὰ τὸν νόμον· »aggressus sum subscriptorem »profitentem subscripsisse, Arethusium, ψευδοκλητείας (no»mine) secundum legem." Quod ita, ut feci, interpungi, tum putem referri oportere, non ad ea quae proxime praecedunt, quaeque aliquantum corrupta arbitrer, sed ad paullo priora illa, lin. 5.: κλητῆρα δὲ κατ' ἐμοῦ τόν τε ἀδελφὸν τὸν αὐτοῦ, Ἀρεθούσιον τοῦτον, ἐπιγράφεται, — καὶ ἄλλον τινά· »subscriptorem vero contra me fratrem suum ipsius, »Arethusium hunc, subscribit, — et alium quemdam." Utrobique enim memoratur ἐπιβολή, eademque omnino caussa videtur significari. Ergo κλητῆρος utique Arethusii delictum erat ψευδοκλητεία, *falsaeque subscriptionis*, (nam hic omnino subscriptio erat facta, ut modo vidimus,) nomine reddendum est. Idque eo majorem sane veri habet speciem, siquidem ejusmodi subscriptor seu actor secundarius non idem qui testis, at vero similis ejus est magnopere: imo hujus ipsius rei testis est, hoc solenniter profitetur, factam fuisse citationem. Neque adeo mirum potest videri, eadem utrumque delictum, ψευδομαρτυριῶν et ψευδοκλητείας, poena fuisse sancitum. Tantummodo ex illis, quae supra exposuimus, repetamus, professionem falsam istam non necessario fuisse *scriptam*, contra eam item *ore* solemniter fieri potuisse videri. Ut accuratius quam alii nonnulli vereque Meierus p. 125: »Haec actio contra »eos dabaturque quum in jus vocationi non interfuis»sent, interfuisse se testati essent, atque ita effecissent »ut reus absens neque umquam in jus vocatus tam-

»quam contumax (ἐρήμην) damnaretur." Contra solos utique, qui sese κλητῆρες falso essent professi: minime contra actorem in cujus gratiam fecissent. Is enim ipse alia lege tenebatur, sive κακοτεχνιῶν, ut existimare videtur Wachsmuthius, Hellen. Alterth. II. 1. p. 276. sq.: sive συκοφαντίας, quae est sententia Boeckhii, Ind. Lectt. Berol. 1817—1818: Platneri, Process u. Kl. T. I. p. 419. Qua de re non statuo: prius tamen veri putem similius. Quidquid sit, neutra earum actionum ter damnato ἀτιμίαν videtur irrogasse. Quod contra quum constet de ψευδοκλητείᾳ· addamus modo, poenam universe hujus delicti, ut multorum aliorum, fuisse arbitrariam, neque, ut in caeteris obtinebat, ab ipsa lege certo definitam. (De qua judiciorum apud Athenienses divisione in ἀγῶνας τιμητοὺς et ἀτιμήτους, quippe notissima, non est quod hic exponamus, simpliciterque animadvertemus, quod per se patet, nec tamen Cap. V. p. 35. sq. diximus explicite. suffragium duplex, ibi memoratum, de hisce duntaxat judiciis arbitrariis, τιμητοῖς, intelligendum esse). Perspicuum illud vel ex sola illa Demosthenis Nicostratea. At vero nollem indidem, cum alios, tum Boeckhium Staatb. I. p. 411., conclusisse, ea in lite crimen ψευδοκλητείας morte fuisse aestimatum. Ex ipsis Demosthenis verbis apparet, aestimationis alias item easque longe graviores adfuisse caussas; siquidem reus actorem nec opinato aggressus erat et parum abfuit quin necasset. Soli ψευδοκλητείᾳ mortem fuisse rogatam, nullibi proditum repperi, et vix est ut credas umquam ita evenisse. Sed errorem, similem ejus quem notamus h. l., in alio tantum exemplo, et apud Heraldum, dudum refutavit Petitus: cf. infra Cap. XXI. p. 147. fin.

Quod autem Capite vidimus proxime superiori, Andocidem diserte prodere, ἄτιμον eum demum fuisse qui *ter* damnatus esset, seu falsi testimonii, seu ψευδοκλητείας; hinc

et illud videtur repetendum, quod Arethusius, ille quem ex Demosthenis Oratione Adversus Nicostratum modo spectavimus, ab actore p. 1252 dicatur ὤφειλεν τῷ δημοσίῳ, quippe qui ψευδοκλητείας nomine damnatus unius talenti, hanc pecuniam non solvisset; attamen caeterum ἄτιμος ex hoc judicio factus nullibi dicatur; siquidem, puto, prima tunc vice damnatus esset alterave.

CAPUT XXI.

Κάκωσις γονέων. Tria judicia κακώσεως· adversus tutorem: adversus maritum τῆς ἐπικλήρου· adversus filium. Parentum alendorum necessitas. Quinam in hac lege intelligendi γονεῖς. Ad solos filios pertinet, non ad filias. Parentum alendorum officio quid contineatur. Exceptiones. Officia erga parentes defunctos.

Falsi testimonii et falsae citationis damnatis proxime subjungendi sunt, (ut eumdem quem Andocides sequamur ordinem,) illi *qui parentes male tractassent.* Et vero notum est, Athenienses in istos homines in primis severe animadvertisse, lege illa nobilissima atque laudatissima, quam *κακώσεως γονέων*, *malae tractationis parentum*, vocabant. Sed primum hac opportunitate quaedam universe dicamus de legibus et judiciis *κακώσεως*.

Triplex enim Athenis actio eo nomine ferebatur: quarum altera ἐπικλήρους adversus maritos: parentibus adversus filios altera: denique tertia erat iis qui pupillorum caussam agerent, adversus eorum tutores. Sic quidem Harpocration v. *κακώσεως*. Tria illa diversa judicia communi quoque appellatione *κακώσεως* significare videtur Pollux VIII. s. 31., ubi hanc recenset inter actiones privatas, *δίκας ἰδιωτικὰς*, quas opponit publicis actionibus, vel potius, ut Graecum nomen servemus, *ταῖς γραφαῖς*, deinceps enumeratis s. 40.; quo posteriori

loco nulla cujusquam κακώσεως fit mentio. Itaque Salmasius, De Modo Usurarum p. 131, Pollucem reprehendit, saltem non nisi de malâ tractatione uxoris eum intelligendum esse affirmat, non item de injuria adversus parentes, quippe cujus rei non privata, verum publica esset actio: ipse vicissim cum ab aliis reprehensus, tum a Joanne Luzacio Spec. Academ. II. p. 82., qui observat, actionem popularem a Salmasio cum accusatione publica confundi. Quae quidem magnopere inter se Jure Romano diversa esse, hujus juris peritis notum est: item Salmasium hoc loco Romanorum loquendi usum non satis observasse, libenter agnosco. Verum in eo tamen summa rei posita erat, utrum recte nec ne dixerit, Athenis κακώσεως γονέων γραφὴν fuisse: non, ut Pollux significare videtur, δίκην ἰδιωτικήν. Et equidem ei assentiri nullus dubito: quin omnem κακώσεως actionem puto fuisse γραφήν. Sed de singulis singulatim videamus, et primo quidem de judicio adversus tutores.

Petitus Legg. Att. VI. 7. n. 3. sqq. Comm. p.593—595. de poenis tutorum egit qui male in tutela essent versati. Neque autem accurate hoc argumentum tractavit, siquidem ad unum tutelae retulit judicium, quae ad duas diversas actiones pertinent. Prima est actio tutelae, δίκη τῆς ἐπιτροπῆς, privata, ejus qui modo ex pupillis excesserat, (quod Athenis erat anno aetatis vigesimo,) adversus eum qui ipsius tutor fuisset; ut is scilicet tutelae, quam gessisset, ipsi rationes daret. Quales hodieque habemus Demosthenis λόγους ἐπιτροπῆς seu ἐπιτροπικοὺς adversus Aphobum tutorem. Haec actio intra quinquennium erat instituenda: ut ostendit Petitus d. l. n. 4. p. 594. Jam de altera videamus. Archon Eponymus curam gerebat, cum pupillorum, tum parentum, tum ἐπικλήρων: Demosthenes Adv. Lacrit. p. 940. 10. (1).

(1) Non obstat Scholiastes Aristoph. Vesp. v. 1034: καὶ οἱ κα-

Quod si qua injuria hisce pupillis seu mulieribus *ἐπικλήροις* facta esset, poterat Archon ad certum usque modum imponere peccanti mulctam, *ἐπιβολήν*· sin majori is poena dignus videretur, ad Heliaeam ab illo remittebatur, ut vel corpore vel aere lueret. Inspici potest lex adducta a Demosthene Adv. Macart. p. 1076, quamque et nos infra, Cap. XLI., apponemus, ubi hunc locum, *ἐπιβολὴν* inquam, de industria spectabimus: conferatur item Petitus p. 593. Unde tutorem suspectum accusare apud Archontem, ut cum aliis puniretur modis, tum a tutela removeretur, cuique Atheniensium licebat. Et huc pertinent verba Pollucis VIII. s. 31., a Petito ibid. p. 594. citata: *ἀλλ' αὐτὴ μὲν δημοσία, ὥσπερ καὶ τῆς ἐπιτροπῆς. ἐξῆν γὰρ τῷ βουλομένῳ γράφεσθαι τὸν ἐπίτροπον, ὑπὲρ τῶν ἀδικουμένων ὀρφάνων*· » Sed haec quidem (actio) publica, (est), sicut et (actio) tutelae. Licebat enim cuicumque libuerit accusare tutorem, super » laesis pupillis." Verum in primis commemorandus est insignis locus Isaei, quem non adduxit Petitus, ex ejus Oratione X. p. 285—289: ex quo apparet, pupillum a tutore male habitum proprie dici *κακοῦσθαι*: ibid. p. 289. 14: tum hanc actionem, qua tutor tamquam suspectus apud Archontem accusatur, *γραφὴν* esse, eaque reum de infamiâ periclitari, *κινδυνεύειν περὶ τοῦ σώματος*· p. 289. 10. Sed utrum id ita intelligendum sit, quod de omnibus *γραφαῖς* postea videbimus, damnatum, nisi morte afficeretur, pecuniâ publico solvendâ mulctari solere, quam donec solvisset, *ἄτιμον* fuisse: an tutor, qui hac caussa cecidisset atque a tutela esset remotus, eo ipso, etiamsi mulctam sibi impositam aerario solvisset, tamen

τηγορῦντες γονέων κακώσεως πρὸς τὸν Πολέμαρχον ἐδικάζοντο· hoc enim, ut loci nexus ostendit, non de civibus, sed de *inquilinis*, *μετοίκοις*, dicitur, in quos omnis jurisdictio pertinebat ad Polemarchum.

infamis maneret; ex hoc quidem loco certo statui non potest. At vero prior sententia probabilior est: ut paullo post, in ipso hoc Capite, animadvertemus. Illud profecto haud dubium est, actionem illam fuisse γραφὴν tum ab Isaeo, verbis modo allatis, p. 289. 14., satis diserte significatur, eam κακώσεως appellatam. Ipsa appellatio, γραφὴ κακώσεως, exstat apud Demosthenem In Theocrin. p. 1332. 12., ubi pueri cujusdam vitricum eumdemque tutorem is accusatum esse refert tamquam qui puerum fraudasset: eamque actionem ad Archontem deferri, ἀποφέρεσθαι, ut alibi de aliis ejusmodi accusationibus: (veluti De Coron. p. 243. 11.: ἀπήνεγκε πρὸς τὸν Ἄρχοντα παρανόμων γραφὴν, quae profecto est accusatio publica:) sic hoc loco item ait Demosthenes.

Porro κακώσεως nomine vocabatur Athenis actio τῶν ἐπικλήρων adversus maritos. Ἐπίκληροι erant filiae legitimae, quae nullum fratrem germanum habentes, hereditatem paternam acquirebant. Nam si quidem moriens civis Atheniensis filium legitimum unum seu plures relinqueret, filiae quae simul cum his essent superstites, nullam hereditatis consequebantur partem: alimenta duntaxat dotemque a fratribus eorumve heredibus accipiebant: ipsae dicebantur ἐπίπροικοι. De quo discrimine, et omnino de jure τῶν ἐπικλήρων, docta est animadversio Sluiteri Lection. Andocid. p. 80—93. Igitur ἐπικλήρων curam et inspectionem habebat Archon Eponymus: Andocides In Alcibiad. p. 117. fin. 118. pr. Isaeus Orat. II. p. 44.: Demosthenes Adv. Lacrit., loco supra citato, p. 960. 10: Adv. Pantaenet. p. 976. 12: Adv. Macart. p. 1076. 14. quem locum item modo indicavimus, eumque et ad ἐπικλήρους et ad pupillos pertinere diximus; ut Archonti adeo qui hoc officium neglexisset, poena esset mille drachmarum Junoni sacrarum: ibid. p. 1068. 10. Jam ejusmodi filiam qui unicam haberet,

saepius eam in matrimonium dabat illi quem simul adoptaret, seu moriens, testamento, unâ cum hereditate, alicui relinquebat ex amicis. Quod si neutrum fecisset, itaque ab intestato esset mortuus: (nam aliter, quam ut modo diximus, testari non licebat:) tum is, qui genere proximus esset, puellam istam in matrimonium sibi ipse petere tenebatur, aliive, dote data, eam elocare: Demosthenes Adv. Macart., in primis p. 1067 sq.: cf. et Sluiterus d. l. Et vero, quod supra vidimus de suspecti tutoris, idem de mariti uxorem ἐπίκληρον male habentis, accusatione obtinebat, eam, quicumque vellet de populo, apud Archontem instituisse. Isaeus d. l. p. 44. sq.: Harpocration v. κακώσεως. Quamquam et ipsi uxori maritum accusare licuisse, illamque popularem actionem non fuisse nisi huic quodammodo auxiliariam, cum ex rei natura, tum ex Harpocrationis d. l. testimonio, tum denique apparet ex pluribus exemplis. Veluti Diogenes Laërtius IV. s. 17. ex Antigonó Carystio refert, adolescentem Polemonem, ob nefarias voluptates, hoc nomine κακώσεως in jus vocatum eese ab uxore. Et Lucianus, in Bis Accusato, T. II. p. 808—828., Syro cuidam intentatam ab uxore Rhetorica fingit litem, quod ipsam reliquisset, seque ad Dialogum contulisset. Alciphron quidem, Epp. I. 6. fin., mulierem, a marito propter alios amores neglectam, eumque, ut ab hac libidine desistat, monentem inducit: idque nisi faciat, sese ad patrem abituram, quem, preces filiae haud adspernantem, eum κακώσεως accusaturum minatur. Atqui hanc actionem modo vidimus ab ipsa item uxore institui potuisse. Porro tenendum, actorem extra omne periculum fuisse, etiamsi non quintam suffragiorum partem, imo etiamsi nullum omnino suffragium tulisset: Isaeus d. l. Harpocration v. εἰσαγγελία. Ex quo postremo loco id ad omnia κακώσεως genera pertinuisse videatur.

Tertio tandem, κακώσεως actio Athenis quoque institui poterat in eos, qui parentes male habuissent. Quae κάκωσις γονέων in primis hic nobis erat spectanda.

Et hoc vero officium, parentes alendi omnique cultu et honore prosequendi, ab ipsâ naturâ hominum animis infixum, omnibus quoque legumlatoribus, quotquot eo nomine digni sunt, merito visum est sanctissimum. Graecorum quidem poëta antiquissimus Homerus hanc filii in patrem pietatem, cum in Telemacho, tum in Oreste, nobilissimis ostendit exemplis, eamdemque eximiis immortalibusque laudibus ornavit. Suppar Hesiodus, priscorum temporum virtutibus atque innocentiae opponens ferrei corruptam saeculi pravitatem, in primis in hisce hominibus notat severeque reprehendit illius omnium religiosissimi officii neglectum, ingratumque erga parentes animum: Op. et D. v. 183. sqq.

Αἶψα δὲ γηράσκοντας ἀτιμήσουσι τοκῆας.
Μέμψονται δ'ἄρα τοὺς χαλεποῖς βάζοντ' ἐπέεσσι
Σχέτλιοι, οὐδὲ θεῶν ὄπιν εἰδότες· οὐδὲ μὲν οἵγε
Γηράντεσσι τοκεῦσιν ἀπὸ θρεπτήρια δοῖεν,
Χειροδίκαι.

» Continuo vero despicient senescentes parentes.
» Incusabunt autem illos molestis alloquentes verbis
» Impii, neque deorum oculum veriti: neque hi sane
» Senibus parentibus reddent educationis praemia,
» Violenti."

Philosophorum quoque princeps Plato, pietatem parentibus debitam summis laudibus extollit, cùm alibi saepissime, tum duplici in primis loco, altero Leg. IV. p. 717. B—E, altero ibid. XI p. 931. A. D. et E.: ubi hoc addit, inter simulacra, quibus deos adoramus, nulla esse praestantiora ipsisque diis jucundiora, quam parentes senio confectos qui a nobis pie colentur et honorentur.

Profecto, communis fere Graecorum lex ejusmodi fuisse

videtur, parentes a filiis alendos esse: quod cum conjici probabiliter potest ex loco Herodoti II. 35., tum diserte idem, ex Alexi Comico, traditur a Vitruvio, VI, Praefat.

Apud Athenienses quidem, hujus officii observantiam quum jam praescripsisse dicatur Triptolemus ille, (narrante Porphyrio De Abstin. IV. 22. p. 378.,) tum vero postea Solon idem praeceptum sanxit ejusque neglecti poenam statuit ἀτιμίαν: referente Diogene Laërtio I. s. 55: cui addantur Xenophon Mem. II. 2. § 13: Andocides De Myster. p. 35. fin. sq.: Demosthenes Adv. Lacrit. p. 940. 11., quem locum supra adduximus, et ex quo apparet, hujus rei curam fuisse penes Archontem Eponymum. Quibus κακώσεως legibus memoratis, eas naturae legibus consentaneas esse, quod modo diximus, item observat Demosthenes Philipp. IV. p. 141. fin. sq.: δεῖ γὰρ, οἶμαι, τοῖς γονεῦσι τὸν ὡρισμένον ἐξ ἀμφοτέρων ἔρανον, καὶ παρὰ τῆς φύσεως, καὶ παρὰ τοῦ νόμου, δικαίως φέρειν, καὶ ἑκόντα ὑποτελεῖν· » Oportet enim, opinor, parentibus » cultum praescriptum utrimque, et a natura, et a lege, » juste praebere, lubenterque praestare." Verum de hoc Solonis instituto nunc paullo accuratius videamus.

Γονεῖς, parentes, quos ex hac lege sustentari oportet, non tantummodo intelligendi sunt pater et mater, sed etiam avus, avia, omnes omnino adscendentes qui in vivis supersint: Isaeus Or. VIII. p. 216. Eademque lex ad patrem quoque adoptivum pertinuit: Lysias In Agorat. p. 510. Utriusque rei ratio in promptu est: siquidem hi omnes liberi simul essent sui et necessarii heredes parentis defuncti vel naturalis vel adoptivi; itaque ejusdem parentis, dum viveret, sustentandi onus iisdem jure incumbere videretur: Isaeus d. l. — Formula haec erat solemnis ac legitima, γονέων κάκωσις: quamquam eadem plane significatione τοκέων κάκωσις usurpatur a Lycurgo In Leocrat. p. 239. 18.

Hoc autem officio tenebantur soli filii, non item filiae, ut quidem verisimile est. Primus, quod sciam, hanc quaestionem movit Janus Pan, in Dissertatione Inaugurali De Grati Animi Officiis atque Ingratorum poena, Jure Attico et Romano, L. B. 1809. p. 20. sq.: eamdemque, quam et nos sequimur, sententiam, sibi probabilem videri ait, propter loca Herodoti II. 35. sq., ubi is, contra quam apud reliquas gentes, apud Ægyptios quidem narrat hoc officium non ad filios, verum ad filias, pertinuisse (1), itaque indicare videtur, et reliquorum Graecorum, et Atheniensium, legibus, non nisi filios eo obstrictos fuisse: tum Plutarchi Solon. p. 90. D. E., hac ipsa de re Solonis instituta referentis, filiorumque duntaxat mentionem facientis: tum vero item propterea, quod filiae, Athenis plerumque in gynaecei umbra delitescentes, huic officio adimplendo multo minus essent idoneae, quam filii, in luce fori versantes. Hisce rationibus, quas nos etiam omnino probamus, addendum est, hereditatem paternam solos fratres accepisse, non sorores, si quidem fratrem secum haberent superstitem: qua de re paullo ante monuimus. Unde dubium oriatur, an patris alendi onus saltem non ad filiam ἐπίκληρον pertinuerit. At vero hoc minus probabile est, cum ob priora illa argumenta, quae de omnibus mulieribus valent, sive ἐπίκληροι essent, sive ἐπίπροικοι· tum quod hujus pietatis neglectae poena memoretur ἀτιμία, eaque non nisi de viris intelligi possit, ut nunc porro videbimus.

Etenim quum simpliciter ἀτιμίας mentio exstet apud Andocidem De Myst. p. 35. fin. sq.: Diogenem Laër-

(1) Larcherus ad h. l. not. 107. putat hoc Ægyptiorum institutum ex eo forte repetendum esse, quod milites, et sacerdotes qui iidem erant judices, saepe domo abessent, et sic parentes non facile curare possent.

tium I. s. 55: alibi: poena aliis contra locis magis quasi explicatur et per partes explanatur. Veluti ait Demosthenes In Timocrat. p. 719. 22: Οἱ τοὺς γονέας κακοῦντες, —— εἰσιόντες εἰς τὴν ἀγορὰν, ἀδικοῦσιν. οἷς ἅπασιν οἱ μὲν ὑπάρχοντες νόμοι δεσμὸν προλέγουσιν: »Ii qui pa»rentes male habent, —— intrantes in forum, peccant. »Quibus quidem omnibus leges constitutae carcerem mi»nantur." Idemque ibid. p. 732. 17. Solonis legum meminit, ἐάν τις, ἁλοὺς τῆς κακώσεως τῶν γονέων, εἰς τὴν ἀγορὰν ἐμβάλλῃ, δεδέσθαι· »si quis, damnatus malae »tractationis parentum, in forum se conjiciat, (eum) in »vincula conjici:" porro p. 733. 9. ipsa legitima verba referens: ἐάν τις —ἀπαχθῇ, τῶν γονέων κακώσεως ἡλωκὼς, —προειρημένον αὐτῷ ὑπὸ τῶν νόμων, εἴργεσθαι, εἰσιὼν ὅποι μὴ χρὴ, δησάντων αὐτὸν οἱ ἕνδεκα, καὶ εἰσαγόντων αὐτὸν εἰς τὴν ἡλιαίαν. κατηγορείτω δὲ ὁ βουλόμενος οἷς ἔξεστιν. ἐὰν δ᾽ἁλῷ, τιμάτω ἡ ἡλιαία, ὅ, τι χρὴ παθεῖν αὐτὸν, ἢ ἀποτίσαι. ἐὰν δ᾽ἀργυρίου τιμηθῇ, δεδέσθω τέως, ἕως ἂν ἐκτίσῃ. »Si quis — abducatur, parentum malae tractationis dam»natus, — praescripto ipsi a legibus, abstinere, intrans »ubi non oportet, ligent ipsum Undecimviri, eumque »deferant ad Heliaeam, accuset vero quicumque velit (ex »iis) quibus licet. quodsi damnetur, aestimet Heliaea »quidnam oporteat pati ipsum aut luere. Sin vero pe»cunia damnetur, tamdiu ligetur, donec solverit." Neque vero Lysias, In Agorat. p. 510., loco quem supra aliam ob caussam citavimus, eum qui contra hanc legem fecisset, capite luisse, sed Agoratum, hujus criminis reum, quique idem in alias leges commisisset, mortem commeritum fuisse, significat: ut recte hunc locum, adversus Heraldum Observ. ad Jus Att. et R. VII. 23. n. 10., de mortis poena legibus in κάκωσιν γονέων statuta eum interpretantem, explicat Petitus Comm. p. 240. De Attico quidem jure Xenophon Mem. S. II. 2. § 13.:

Ἐὰν δὲ τις γονέας μὴ θεραπεύῃ, τούτῳ (*ἡ πόλις*) *δίκην τε ἐπιτίθησι, καὶ ἀποδοκιμάζουσα οὐκ ἐᾷ ἄρχειν τοῦτον, ὡς οὔτε ἂν τὰ ἱερὰ εὐσεβῶς θυόμενα ὑπὲρ τῆς πόλεως τούτου θύοντος, οὔτε ἄλλο καλῶς καὶ δικαίως οὐδὲν ἂν τούτου πράξαντος.* » Si quis autem parentes non honoret, huic »(civitas) et actionem imponit, et in examine reprobans »non sinit eum magistratu fungi, tamquam neque sacris »rite factis pro civitate hoc faciente, neque eo aliud »quidquam pulcre et juste agente." Et Ulpianus Scholiastes in Demosth. In Timocr. p 733. R., locum supra allatum, p. 789. D. ed. Francof.: *Ὁ νόμος ἔξω περιῤῥαντηρίων τῆς ἀγορᾶς ἐξείργει, καὶ οὐκ ἐᾷ στεφανοῦσθαι ἐν ταῖς κοιναῖς στεφανοφορίαις, οὐδὲ εἰσιέναι εἰς τὰ ἱερὰ τὰ δημοτελῆ, — καὶ οὐδενὸς μετέχειν τῶν κοινῶν.* » Lex (eum) » extra cancellas fori arcet, et non sinit coronari in pu» blicis coronae gestationibus, neque intrare in sacra pu» blica, — et nullius communium (jurium) participem » esse."

Ex his igitur omnibus perspicue apparet, quod et initio hujus disputationis ex verbis illis Andocidis De Myster. p. 35. fin. sq. vidimus, malae parentum tractationis damnatos *corporibus infames*, *ἀτίμους τὰ σώματα*, fuisse: adeoque iis interdictum foro caeterisque coetibus quos intrare ejusmodi hominibus vetitum esset. Quod ab Andocide, Demosthene, Xenophonte, Diogene Laërtio, expresse ad *κάκωσιν τῶν γονέων*, a nemine eorum ad *κάκωσιν* seu pupillorum, seu *τῶν ἐπικλήρων*, refertur: itaque de illâ tantummodo intelligendum est. Andocides quidem, d. l. de hisce aliisque ejusdem generis hominibus locuturus, *ἕτερος δὲ* (*τρόπος ἀτιμίας*), ait, *ὧν τὰ μὲν σώματα ἄτιμα ἦν, τὴν δ'οὐσίαν ἔσχον καὶ ἐκέκτηντο·* paullo post, iisdem enumeratis, addit: *οὗτοι πάντες ἄτιμοι ἦσαν τὰ σώματα, τὰ δὲ χρήματα εἶχον.* Scilicet bonis illaesis, ipsi duntaxat juribus privati erant ejus generis quibus frueban-

tur ἐπίτιμοι. Quodsi haec jura sibi arrogassent, tum vero, ut ex Demosthene modo animadvertimus, Undecimviris eos in vincula conjicere et ad Heliaeam deferre licebat. Eos ibidem accusare, ut porro addit Demosthenes, poterat unusquisque, cui quidem leges licentiam darent accusandi: rem confirmat Harpocration v. κακώσεως. Damnati, seu corpore seu aere luebant, prout id videretur Heliaeae. Si pecuniâ ipsis lis esset aestimata, quodammodo sane ejusdem erant conditionis cujus reliqui reipublicae debitores: quos inter, ut supra vidimus, item numerari oportet malae tractationis damnatos vel pupillorum vel uxorum ἐπικλήρων. Etenim hi omnes apud Heliaeam a quolibet accusari poterant: quo judicio si pecuniae damnarentur, ἄτιμοι erant quamdiu non solvissent. Parentes vero quicumque suos injuriâ affecisse judicatus esset, juraque, eo nomine sibi interdicta, nihilominus affectasset, is propterea, etiamsi non corpore, sed pecuniâ tantum esset damnatus, semper tamen, donec solvisset, in vincula conjiciebatur. Quod quum de iis minime obtineret, qui, seu quod pupillos uxoresve male habuissent, sive alias ob caussas, publici aerarii facti essent debitores, ὀφείλοντες τῷ δημοσίῳ· tum vero, quamquam hoc a Scriptoribus diserte proditum non novimus, certo tamen haud dubitamus affirmare, eum qui male habuisset parentes, quique propterea, quod jura sibi interdicta usurpasset, mulctae pecuniariae esset damnatus, eum igitur, etiamsi hanc mulctam solvisset, adeoque custodiâ esset liberatus, nihilominus ἄτιμον mansisse. Aliter enim, quod jura usurpasset sibi tamquam parentum κακώσεως damnato illicita, itaque novum omnino delictum commisisset, ob hoc ipsum tamen re verâ meliorem naetus fuisset conditionem, modo, pecuniae damnatus ab Heliaeâ, hanc deinde solvisset. Quod profecto nullam veri speciem habet, minimeque est admittendum.

Contrariâ ratione, ut supra verbo notavimus, statui oportet, tutorem, qui tamquam suspectus publicae actionis reus factus succubuisset, maritumve τῆς ἐπικλήρου qui κακώσεως esset damnatus, ἀτίμους eos quidem fuisse, sed eo tantum sensu, quo reliquos omnes cujuscumque γραφῆς damnatos, id est tam diu quam mulctam adhuc deberent judicio sibi impositam. Quum hi ergo, si causâ cecidissent, tantummodo, et ne hoc quidem nisi mulctâ nondum solutâ, ὀφείλοντες τῷ δημοσίῳ essent; contra, damnati τῆς κακώσεως τῶν γονέων omnes ἄτιμοι erant τὰ σώματα, *corporibus infames*, i. e. maculâ notati ejusmodi, quam nulla mulctae solutio, (licet praeterea huic poenae tamquam nova poena addita fuisset mulcta,) delere potuerit.

Et haec itaque de poenis κακώσεως τῶν γονέων apud Athenienses statutis dicenda videbantur. Nam quod habet Meursius Them. Att. I. 2., ex Heraclide Pontico, Quinctiliano, Marcellino et Syriano Comm. in Hermogenem, aliis: filium, qui patri vim patienti auxilium non tulisset, morte punitum fuisse: morti quoque traditum, qui patrem non sepelivisset: ei, qui verberasset, manum fuisse amputatam: haec omnia potius a Rhetoribus ficta, quam Athenis publice legibus jussa statuimus: praesertim quum ea non modo non confirmentur ipsorum testimonio Oratorum Atticorum aliorumve ejusdem auctoritatis Scriptorum, contra huic testimonio multis partibus prorsus repugnent. Ne addamus, ipsos quoque istos Rhetores invicem dissentire; veluti in filium qui parentes sepelire negligeret, Sopater mortem, Syrianus contra exheredationem et exsilium, statutum ait. Verum: quod jam observarunt Wesselingius in Praefatione ad Petiti Leges Atticas p. VIII., Struvius Biblioth. Juris Select. c. 11. § 4., nosque item alio hujus Disputationis loco Cap. XVII. p. 113. sq. in alio exemplo vidimus: Meursius interdum

fictas a Sophistis leges pro veris admisit Atheniensium statutis, eoque nomine in Themide Attica locavit, opere caeteroquin maximis laudibus celebrando.

Hoc autem crimine, *κακώσεως τῶν γονέων*, Atheniensium legibus tenebatur is, qui parentes non, prout oporteret, coluisset. Ita ait Xenophon Mem. Socr. II. 2. § 13., loco quem supra quoque adduximus: *Ἐὰν δέ τις γονέας μὴ θεραπεύῃ, τούτῳ (ἡ πόλις) δίκην ἐπιτίθησι·* »Si quis »vero parentes non colat, huic (civitas) litem imponit." Eodem pertinent loca Lysiae In Agorat. p. 470., ubi memorantur liberi, *γονέας σφετέρους αὐτῶν πρεσβύτας καταλιπόντες, οἳ ἤλπιζον ὑπὸ τῶν σφετέρων αὐτῶν παίδων γηροτροφηθέντες, κ. τ. λ.* »relinquentes suos parentes se- »nes, qui sperabant a suis ipsorum liberis in senio nu- »triti, caet.:" ejusdem Lysiae ibid. p. 510., lege *τῆς κακώσεως* teneri affirmantis, *ὅστις τὸν πατέρα τὸν αὑτοῦ ἔτυπτε, καὶ οὐδὲν παρεῖχε τῶν ἐπιτηδείων·* »quisquis patrem »suum verberavit, et nihil praebuit (ipsi) necessariorum:" Isaei Or. VIII. p. 216. pr., qui ipsis quoque verbis meminit *τοῦ περὶ τῆς κακώσεως νόμου*, de eaque porro addit: *κελεύει γὰρ τρέφειν τοὺς γονέας·* »jubet enim alere »parentes:" Demosthenis In Timocrat. p. 733. 26., ubi similiter harum legum meminit, quae *ζῶντας ἀναγκάζουσι τοὺς παῖδας τοὺς γονέας τρέφειν·* »liberos cogunt, pa- »rentes dum vivant alere:" denique Æliani Hist. An. IX. 1., tradentis, Solonem hoc statuisse, *τρέφειν τοὺς πατέρας ἐπανάγκες·* »parentes alere necesse (esse)." — Et vero Æschines In Timarch. p. 54. quamquam proprie loquatur de *δοκιμασίᾳ τῶν ῥητόρων*, legesque commemoret ea de re latas, attamen quod ibidem ait, de lege *περὶ τῆς κακώσεως* illud haud minus intelligendum videtur, ut eâ nimirum teneatur *ὁ τὸν πατέρα τύπτων ἢ τὴν μητέρα, ἢ μὴ τρέφων, ἢ μὴ παρέχων οἴκησιν·* »patrem ver- »berans aut matrem, aut non alens, aut domum non

» praebens.” Igitur quicumque parentes verberasset aliisve modis laesisset, item qui iis alimenta, domum, quaelibet omnino ad victum cultumve necessaria, non praebuisset, poenam legitimam is incurrebat. Quae quidem certum videtur omnia cauta fuisse unâ illâ lege περὶ τῆς κακώσεως τῶν γονέων. Atheniensibus profecto prorsus ignotum fuit jus vitae et necis: quidquid Meursius aliique dicant; quippe quod ab eorum moribus omnino abhorrens, plura praeterea Scriptorum testimonia solis diserte tamquam proprium vindicant Romanis: ut recte observat Panus d. l. p. 12. sq.

Idem ibid. p. 21. sqq. ostendit, huic patris alendi officio tres exceptiones a Solone esse adjectas.

Primo, si pater filium nullam artem docuisset, is quoque patrem alere non tenebatur. Rem narrat Plutarchus Solon. p. 90. C., de Solone ita referens: νόμον ἔγραψεν, υἱῷ τρέφειν τὸν πατέρα μὴ διδαξάμενον τέχνην ἐπάναγκες μὴ εἶναι· » legem scripsit, filio necesse non esse alere » patrem qui ipsum artem non docuisset:” addens, rationem legis fuisse, τὰ πλεῖςα τῆς χώρας ἀγεννῆ καὶ φαῦλα εἶναι· » plurimas agri partes incultas et neglectas esse.” » Hanc tamen non praecipuam legis reddendae rationem » fuisse videri,” ait Panus d. l., » sed id a Solone consti- » tutum, ut patres excitarentur ad liberos summa cura » educandos.” Quod equidem ita probo, ut utramque caussam adfuisse existimem. Eamdem, quam Panus, ut ipse recte animadvertit, item Vitruvius attulit, loco illo, supra a nobis significato, Praef. Lib. VI. p. 102. ed. de Laet, ubi Alexin Comicum haec dixisse refert: » Athe- » nienses ideo oportere laudari, quod omnium Graeco- » rum leges cogunt parentes ali a liberis, Atheniensium » non omnes, nisi eos qui liberos artibus erudissent. Om- » nia enim munera fortunae cum dantur, ab ea facillime » adimuntur: disciplinae vero conjunctae cum animis

»nullo tempore deficiunt, sed permanent stabiliter ad »summum halitum vitae." Solonis hanc legem quoque commemorat laudatque Galenus, Protrept. p. 3., (C. 8. p. 21. ed. Willeti): Ἐπαινέσῃ δ' ἄν τις καὶ τὸν Ἀθήνησι νομοθέτην, ὃς τὸν μὴ διδάξαντα τέχνην ἐκώλυε πρὸς τοῦ παιδὸς τρέφεσθαι· »Jam vero et legislatorem Athenien»sem fortasse laudavit aliquis, qui vetuit parentem ali»moniae jus a filio petere quem nullam artem docuis»set:" ad quem locum et nonnulla attulit Willetus.

Altera exceptio erat in liberis e meretrice susceptis: memorata eidem Plutarcho d. l. E. Ἐκεῖνο δ' ἤδη σφοδρότερον, τὸ μηδὲ τοῖς ἐξ ἑταίρας γενομένοις ἐπάναγκες εἶναι τοὺς πατέρας τρέφειν, ὡς Ἡρακλείδης ἱςόρηκεν ὁ Ποντικός· »Illud vero jam mirabilius, neque liberis e meretrice »susceptis necesse esse patres alere, ut narrat Heraclides »Ponticus." Rationem addit Plutarchus, virum ejusmodi potius libidinis, quam liberorum suscipiendorum caussa, cum muliere consuevisse videri; adeoque ipsum, qui liberos ita adspersisset infamia, indignum esse qui ex iis ullum fructum percipiat. Matrem vero meretricem a liberis ali debuisse, probabilius est: ut recte, adversus Petitum II. 4. 17. p. 244., disputat Panus p. 22. sq.

Tertio, cessabat item patris alendi officium, si is filium prostituisset. Ipsa legis verba refert Æschines In Timarch. p. 40: μὴ ἐπάναγκες εἶναι τῷ παιδὶ ἡβήσαντι τρέφειν τὸν πατέρα, μηδὲ οἴκησιν παρέχειν, ὃς ἂν ἐκμισθώσῃ ἑταίρειν· »non necesse esse filio adulto patrem alere, neque do»mum praebere (ipsi)), qui quidem (eum) elocaverit pro»stibulum agere. Etenim, ut porro ait Æschines, ἀφαι»ρεῖται τοῦ παιδὸς τὴν παῤῥησίαν: dicendi libertatem filio »adimit," i. e. quantum in se est adimit. Patrem scilicet qui filium prostituerit, semper hoc beneficio leges privant, ut ab eo filio adulto sustentetur; licet ipse filius ita demum παῤῥησίᾳ destituitur reliquisque ἀτιμίας

poenis afficitur, si postquam patris potestate exierit et in civium album fuerit relatus, porro pergerit flagitiose vivere. Quod cum satis apparet ex iis quae in sequentibus habet Æschines, in primis p. 43. sq.: tum nos idem plenius videbimus infra, Cap. XLIII.

Haec itaque de officiis filio erga patrem, dum viveret, a Solone praescriptis, dicta sufficiant.

Et vero cum rei naturam, tum in primis Veterum opiniones reputanti, mirum non videatur, eodem legibus Atticis relatum fuisse parentes sepeliendi iisque parentandi officium. Quo pertinent loca, cum Æschinis In Timarch. p. 40., tum Demosthenis In Timocrat. p. 733. fin., item a Pano ibid. p. 15. fin. citata: porro ejusdem Demosthenis In Aristogit. I. p. 787. pr.: τὸν πατέρα —— ἀποθανόντα ὁ ἀσεβὴς οὗτος καὶ μιαρὸς οὐκ ἔθαψεν, οὐδὲ τοῖς θάψασι τὴν ταφὴν ἀπέδωκεν· »patrem — mor»tuum impius iste et sceleratus non sepelivit, neque iis, »qui sepeliverunt, impensas funeris reddidit:" Lysiae In Agorat. p. 470., ubi mentio fit parentum seniorum, οἳ ἤλπιζον ὑπὸ τῶν σφετέρων αὐτῶν παίδων γηροτροφηθέντες, ἐπειδὴ τελευτήσαιεν τὸν βίον, ταφήσεσθαι· »qui sperabant »a suis ipsorum liberis in senio nutriti, postquam vitam »finiissent, sepeliri:" denique Lycurgi In Leocrat. p. 239. 19, ubi τοκέων κακώσεως teneri dicitur qui deprehensus fuerit τὰ μνημεῖα αὐτῶν ἀφανίζων καὶ τῶν νομίμων ἀποστερῶν· »monumenta ipsorum despiciens et justis privans:" quae Lycurgi verba equidem non tantum de sepeliendo, verum etiam omnino de parentalibus intelligo ejusmodi quae lex fieri juberet, quorumque omissio iisdem his, quibus neglecta sepultura, poenis sancita fuisse videtur. Quam interpretationem confirmant loca illa modo memorata, Æschinis In Timarch. p. 40., de filii officiis in patrem ipsis legis verbis referentis: ἀποθανόντα δὲ θαπτέτω καὶ τἄλλα ποιείτω τὰ νομιζόμενα· »mortuum autem

»sepeliat reliquaque justa faciat:" porro addentis, ὁ νόμος — θάπτειν ἤδη κελεύει, καὶ τἄλλα ποιεῖν τὰ νομιζόμενα· »lex — jam sepelire jubet et reliqua facere justa:" itaque officia, cum sepeliendi, tum parentandi, manifeste invicem distinguentis, eâdem quamvis lege praescripta: tum Demosthenis In Timocrat. p. 733. fin., leges memorantis, quae parentes, dum vivant, a liberis ali curant, et vero provident, ἐπειδὰν ἀποθάνωσιν, ὅπως τῶν νομιζομένων τύχωσι· »postquam obierint, ut justa nanciscantur:" ubi τὰ νομιζόμενα, uno eoque legitimo verbo, dicuntur omnia officia quae lex jubet mortuis praestari, quaeque, ut ex Æschine vidimus, partim duntaxat ad sepeliendum pertinent.

Quod autem idem Panus ibid. p. 17. ait, »ex Demosthenis Oratione Adv. Callipp. p. 1241. colligi posse, parentum defunctorum famae consulendum, eamque adversus inimicorum criminationes defendendam fuisse: »et huc forte referendam esse legem, quae liberos, qui »mulctam patris in carcere mortui solvere non possent, »ἀτιμίᾳ notabat:" in hac quidem utraque re ab eo dissentimus. Locum enim illum Demosthenis, quem jam ante, eodem, quo Panus, sensu accepit Petitus II. 4. 18, nos simpliciter ad universam cujuscumque heredis circa hereditatis onera obligationem referimus. Legem de liberis ἀτιμίᾳ notandis qui mulctam solvere non possent patris in carcere mortui, hanc legem, inquam, ipsi naturae hujusmodi mulctae omnino consentaneam, infra spectabimus Cap. XLII., ubi de hoc argumento ex professo agemus.

Patris defuncti sepeliendi justaque ei solvendi officium adeo sanctum habebatur ac religiosum, ut licet pater filium prostituisset, isque ob hanc caussam eum, dum viveret, alere non teneretur, defunctum tamen honorare omnino teneretur. Ipsa legis verba adfert Æschines In

Timarch. l. c. p. 40.: cujus loci partes antea adduximus: *μὴ ἐπάναγκες εἶναι τῷ παιδὶ ἡβήσαντι τρέφειν τὸν πατέρα, μηδὲ οἴκησιν παρέχειν, ὃς ἂν ἐκμισθώσῃ ἑταιρεῖν, ἀποθανόντα δὲ θαπτέτω καὶ τἄλλα ποιείτω τὰ νομιζόμενα·* »non necesse esse filio adulto alere patrem, nec domum »praestare, qui quidem (eum) elocaverit prostibulum »agere, mortuum vero sepeliat aliaque justa faciat." Quo loco Æschines quamquam tantummodo loquitur de patre qui filium prostituisset, quippe quum hoc unum in caussâ esset; nihilominus idem dicendum videtur de duabus aliis istis exceptionibus de quibus supra exposuimus, quasque item non nisi ad officia patris vivi alendi, minime defuncti sepeliendi curandique, pertinuisse putamus. Idque de filio nullam artem a patre edocto quum res ipsa satis indicare videatur; siquidem vitae honeste sustentandae necessitas hic omnem legis continet rationem: tum vero confirmatur hoc etiam verbis Æschinis l. l., legem illam, modo memoratam, recitantis, porro de eadem ita exponentis: *Σκέψασθε δὴ, ὡς καλῶς, ὦ Ἀθηναῖοι, ζῶντος μὲν αὐτοῦ ἀφαιρεῖται τὴν ὄνησιν τῆς παιδοποιΐας, ὥσπερ ἐκεῖνος τοῦ παιδὸς τὴν παῤῥησίαν· τελευτήσαντα δὲ αὐτὸν, ἡνίκα ὁ μὲν εὐεργετούμενος οὐκ ἔτι αἰσθάνεται, ὧν εὖ πάσχει, τιμᾶται δὲ ὁ νόμος καὶ τὸ θεῖον, θάπτειν ἤδη κελεύει, καὶ τἄλλα ποιεῖν τὰ νομιζόμενα.* »Videte profecto, quam pulcre, o »Athenienses, viventi quidem ipsi adimit fructum filii »procreandi, ut ipse filio libertatem loquendi: mortuum »vero illum, quando beneficio affectus non amplius sen»tit quae bona patitur, lex autem honoratur resque »divina, sepelire jam jubet, aliaque justa facere." Ex quo loco ni fallor, opinor, satis manifestum est, patris sepeliendi necessitate adstrictos etiam fuisse filios quos nullam artem doceri curasset. Cujusmodi liberos, praeterea, multo minori, quam quos ipse prostituerat, affecisset injuriâ. Quae quidem omnia quamvis non omnino valeant

de filio quem ex meretrice suscepisset pater, quemque adeo, suo ipse facto, indelebili quadam infamia adspersisset: quum tamen parentalia, ut bene observat Æschines, non ita ad patrem ipsum beneficio afficiendum et quasi remunerandum, potius ad religionem ritusque pertinerent legitimos; igitur huic quoque filio ex meretrice suscepto patrem existimo sepelire fuisse necesse.

CAPUT XXIII.

Proëdrus qui super remissione vel diminutione debiti publici in suffragia mitteret.

Ἐὰν δέ τις ἱκετεύῃ ἐν τῇ βουλῇ, ἢ ἐν τῷ δήμῳ, περὶ ὧν δικαστήριον, ἢ ἡ βουλὴ, ἢ ὁ δῆμος κατέγνω, ἐὰν μὲν αὐτὸς ὁ ὀφείλων ἱκετεύῃ πρὶν ἐκτίσαι, ἔνδειξιν εἶναι κατ᾽ αὐτοῦ, καθάπερ ἐάν τις ὀφείλων τῷ δημοσίῳ ἡλιάζηται. ἐὰν δ᾽ ἄλλος ὑπὲρ τοῦ ὠφληκότος ἱκετεύῃ πρὶν ἐκτίσαι, δημοσία ἔϛω αὐτοῦ ἡ οὐσία πᾶσα. ἐὰν δέ τις τῶν προέδρων δῷ τινὶ τὴν ἐπιχειροτονίαν, ἢ αὐτῷ τῷ ὠφληκότι, ἢ ἄλλῳ ὑπὲρ ἐκείνου, πρὶν ἐκτίσαι, ἄτιμος ἔϛω. » Sin vero quis supplicat in » Senatu, vel in populo, de iis quos tribunal, vel sena- » tus, vel populus damnavit, si quidem ipse debitor sup- » plicat priusquam exsolverit, ἔνδειξις sit contra ipsum, » prout si quis populi debitor Heliaeae intersit. Sin autem » alius pro debitore supplicat priusquam solverit, publi- » cum sit hujus patrimonium totum. Quodsi quis Proë- » drorum det cuidam licentiam suffragia colligendi, vel » ipso debitori, vel alio super ipsum, priusquam exsol- » verit, sit ἄτιμος." Lex refertur a Demosthene In Timocrat. p. 716.

Eamque legem, contra remissionem diminutionemve debiti publici latam, postea suo attingemus loco, Cap. XLII. Ad ea caeterum quae hic disputamus quamquam non adtinet; attamen notandum erat quod adversus Proë-

dros statuit: i. e. Proëdrum fore ἄτιμον, si cui in caussâ ejusmodi det copiam suffragiorum colligendorum. *Proëdri* hoc munus fuisse in suffragia mittendi: tum, si in eo peccasset, ἀτιμίᾳ punitum; primum illud satis et aliunde constat: alterum item solenne fere fuisse, satis probabili illud ex hoc Demosthenis loco elici conjecturâ posse putamus. Eoque magis, quod Capite XXV. eamdem poenam animadvertemus in *praeconem* statutam.

CAPUT XXIV.

Lex Leptinis, ne quis sibi ἀτέλειαν posceret. Non perlata videtur.

Legem, huic de qua diximus non admodum dissimilem, tulerat Leptines ille, adversus quem hodieque Demosthenis exstat Oratio. Nec tamen ea lex perlata videtur. Monendum est, Athenis cum alia, quibus honorarentur cives bene meriti de populo, praemia fuisse varia, veluti statuas, coronas, victum publicum (σίτησιν), tum item *munerum immunitatem*, *ἀτέλειαν τῶν λειτουργιῶν*, i. e. munerum ejusmodi quae ad ludos gymnasiarchiasve pertinerent: (etenim quae ad bellum, earum nulla erat immunitas) (1). Haec *ἀτέλεια* quum paullatim pluribus concessa esset, ut tandem fere *λειτουργήσαντες* deficerent; ergo rogavit Leptines, ut qui eam sibi postea posceret a populo, *ἄτιμος ἔςω, καὶ ἡ οὐσία δημοσία ἔςω*, » infamis » esset, bonaque ejus publicarentur:" Demosthenes Adv. Leptin. p. 504. 22. De qua lege conferri possunt, cum quae addit longeque ibi disputat Demosthenes, tum quae ab Anonymo in Argumento Orationis referuntur, ipsius, ut ait, Leptinis verbis, p. 453. Qui contra fecisset, rogatum a Leptine, eum *τὰ ἔσχατα πάσχειν*, *ultima pati*, in priori Orationi praefixo Argumento ait

(1) *Vacatio* item a Romanis praemii loco data: cf. v. c. Cicero Nat. Deor. II. 2.

Libanius p. 451; hac nimirum dictione significans τὸν παντάπασιν ἄτιμον· quem saepius jam tetigimus morem. Et ab aliis caeterum oppugnata est rogatio ista, et a Demosthene, neque frustra, ut verisimile est modoque diximus. Immunitatis illum abusum tollere, instituta tamen patria, quod secus fecerat Leptines, observare, idem conatus est Demosthenes. v. ibid. p. 484.

CAPUT XXV.

Κῆρυξ qui in theatro proclamasset servum manumissum, aut civem coronatum a tribulibus vel curialibus.

Æschines In Ctesiph. p. 434. legislatorem jussisse prodit: *μήτε οἰκέτην ἀπελευθεροῦν ἐν τῷ θεάτρῳ, μήτε ὑπὸ τῶν φυλετῶν ἢ δημοτῶν ἀναγορεύεσθαι ϛεφανούμενον, μήθ' ὑπ' ἄλλου, φησὶ, μηδενὸς, ἢ ἄτιμον εἶναι τὸν κήρυκα·* » neque » servum manumittere in theatro, neque a tribulibus » seu curialibus proclamare coronatum, neque ab alio, » (ait,) quoquam, aut *ἄτιμον* esse praeconem." De hujus legis interpretatione ejusque in caussam praesentem vi, magna omnino fuit quaestio: in eaque disceptanda et Ctesiphontis psephismate coronandi Demosthenis dijudicando, tota fere haec Æschinea versatur oratio, tum contraria illa celeberrima Demosthenis De Corona. Sed quaestio ea ab hoc loco aliena est. Illud constat, legem quam ex Æschine descripsimus, exstitisse et in usu fuisse. Itaque notanda erat a nobis; siquidem *praeconem, κήρυκα*, qui contra fecisset, in theatroque proclamasset seu manumissum servum, seu civem coronatum, (nam proclamandi istud officium, ut satis novimus, proprium erat *τῶν κηρύκων*), eum jussit esse *ἄτιμον*. Quo ipso poenae genere satis declaratur, *κήρυκα* hujusmodi fuisse honestissimo loco. Ad hunc quoque Demosthenis referam verba In Timocrat. p. 747. 4, ubi inter magistratus qui ob-

stricti erant muneris rationes reddere, etiam κήρυκος meminit: quam muneris redditionem, εὐθύνας, infra spectabimus Cap. XXXVII. Longe diversi sunt, minusque adeo honesti censebantur, κήρυκες illi, Theophrasto Charact. c. 6. memorati, de quibus Cap. XXXI. versus finem monebimus.

CAPUT XXVI.

Arbiter sorte datus qui non judicaret caussam.

Διαιτητὴν fuisse *arbitrum*, *judicem minorem*, ejusque *sententiam* δίαιταν: tum duplicis eos fuisse generis, vel αἱρετοὺς, *ab ipsis litigantibus electos*, vel κληρωτοὺς, *sorte datos:* ab hisce, quorum munus erat annuum, ad *tribunalia*, δικαςήρια, appellari potuisse: haec omnia, utpote nota, quaeque ad praesentem non adtinent disputationem, verbo ea notasse suffecerit (1). Illud huc pertinet, quod ait Pollux VIII. 10. S. 126. Διαιτηταὶ —— ἐπεκληροῦντο αὐτοῖς αἱ δίαιται· καὶ ἀτιμία ἀφώριςο μὴ διαιτήσαντι τὴν ἐπικληρωθεῖσαν δίαιταν. » Diaetetae — sorte » ipsis distribuebantur caussae: et infamia statuta erat » in eum qui non judicaret caussam sibi sorte attribu» tam." Melius id Pollux et accuratius, quam Harpocration v. Εἰσαγγελία. Ἄλλη δὲ εἰσαγγελία ἐςὶ κατὰ τῶν διαιτητῶν. εἰ γάρ τις ὑπὸ διαιτητῶν ἀδικηθῇ, ἐξῆν τοῦτον εἰσαγγέλλειν πρὸς τοὺς δικαςὰς, καὶ ἁλοὺς, ἠτιμοῦτο. » Alia » vero delatio est contra diaetetas. Si quis enim a diae» tetis male sit habitus, licebat ipsum deferre ad judi» ces, et si caussa cecidisset, infamia notabatur." Nam ab arbitro eo sorte dato provocationem fuisse ad tribu-

(1) Cf. M. H. Hudtwalcker: Ueber die öffentlichen und privat-Schiedsrichter, Diäteten, in Athen, Jena 1812.: Hermann: Lehrbuch der Griech. Staatsalterth. § 145. n. 11. sqq.

nal, ad hoc appellari potuisse ut denuo de caussa cognosceretur, id quidem certissimum est: sed ab omni abhorret veri specie, neque ullus Veterum locus ne dubium quidem hac de re praebet, quasi sententiâ arbitri a tribunali infirmatâ, arbiter ipse quoque poena afficeretur. Pollux respexisse videtur ad Demosthenem In Midiam p. 541. sq.: qui locus quamvis, quod caussam attinet istam de qua agitur, non ita ab omni difficultate expeditus sit, neque inter Taylorum et Reiskium de ipsius interpretatione omnimodo constet: illud quidem certum est, Midiam ibi dici machinationibus effecisse, ut Straton diaeteta, quam sors (1) ei obtulisset caussam, huic dijudicandae sese non steterit: propterea que is Straton, ait Demosthenes, *ἁπάντων ἀπεστέρηται τῶν ἐν τῇ πόλει, καὶ καθάπαξ ἄτιμος γέγονε·* » omnibus privatus est in civitate, » et factus est *καθάπαξ ἄτιμος*." Cf. ibid. p. 546. 27: idemque Demosthenes In Aristogit. p. 779. 6.

(1) P. 541. 16: *γίγνεταί μοι διαιτητὴς Στράτων·* » *fit* mihi arbiter Straton," i. e. sorte mihi datur: de arbitro *compromissario* dici sic nequeat.

CAPUT XXVII.

Injuria, sive re et facto, seu verbis, in magistratum commissa.

Alius generis delictum, licet ab Andocide non memoratum, a nobis utique hoc loco memorandum est: *injuriam* imquam, sive *re et facto*, seu *verbis*, in *magistratum* ea sit commissa. Classicus est locus Demosthenis In Mid. p. 524. 20. *Ἂν μὲν τοίνυν ἰδιώτην ὄντα τινὰ — ὑβρίσῃ τις, ἢ κακῶς εἴπῃ, γραφὴν ὕβρεως καὶ δίκην κακηγορίας ἰδίαν φεύξεται. ἐὰν δὲ θεσμοθέτην, ἄτιμος ἔςαι καθάπαξ. — Καὶ πάλιν γε τὸν ἄρχοντα, ταὐτὸ τοῦτο, ἐὰν μὲν ἐςεφανωμένον πατάξῃ τις, ἢ κακῶς εἴπῃ, ἄτιμος· ἐὰν δὲ ἰδιώτην, ἰδίᾳ ὑπόδικος. Καὶ οὐ μόνον περὶ τούτων οὕτως ταῦτ' ἔχει, ἀλλὰ καὶ περὶ πάντων, οἷς ἂν ἡ πόλις τινὰ ἄδειαν, ἢ ςεφανηφορίαν, ἤ τινὰ τιμὴν δῷ.* »Si quidem igitur pri»vatum quemdam — laeserit quis, vel ei male dixerit, » accusatione injuriarum et actione maledicentiae privatâ » damnabitur. Sin thesmothetam, *ἄτιμος* erit omnimodo.— » Et rursus vero magistratum, eadem ratione, si quidem » coronatum pulsaverit quis, vel male ei dixerit, *ἄτιμος*· » sin privatum, privatae (actioni) obnoxius. Et non so» lum de his ita haec obtinent, verum et de omnibus, » quibuscumque civitas aliquam majestatem, vel jus » coronam gestandi, vel quemcunque honorem dederit." Poenae huic ut locus esset, non tantum magistratum

laesum fuisse, eum qua talem, non tamquam privatum; ergo in munere fungendo seu honoris ornatum insignibus laesum fuisse, erat necesse: quod ipsum ex allatis istis patet legitimis verbis, (1) tum Demosthenes deinceps pluribus id explicat inde a p. 522., tum sane per se conficiendum est ex Atheniensium reipublicae indole, popularis illius et democraticae. Ad eamque legem, licet eam nusquam ita diserte noverim memoratam, nisi ab uno Aristotele Problemat. Sect. XXIX. n°. 14, plura tamen Scriptorum loca respiciunt: v. c. Lysiae IX. p. 317. sqq., ubi perversa certissime interpretatio est Taylori, quam recte adeo respuit Reiskius, quaeque solis iis modo descriptis Demosthenis refellitur verbis: tum ejusdem Lysiae ibid. p. 331. Ex quo postremo loco nolim cum Reiskio in nota colligere, » si quis magistratui munus » fungenti insultasset, eum eo genere infamiae fuisse no» tatum, ut non modo foro arceretur, sed etiam pro » mancipio venderetur." Bene Reiskius priora: *non tantum* homo ejusmodi arcebatur foro. Sed quae porro addit Lysias, omnia ea commode intelligi possunt de *ἀτιμίᾳ* ὁλοκλήρῳ ejusque sequelis.

(1) *Στέφανος*, *corona*, eaque ex myrto facta, honoris insigne erat et sanctitatis; cf. Meursius Lect. Att. VI. 6.: Corsinus Fast. Att. I. p. 25.

CAPUT XXVIII.

Qui leges de homicidio latas everteret vel mutaret.

Neque omittamus quod legis ipsius verbis refert Demosthenes In Aristocrat. p. 640, pr. Νόμος. Ὃς ἂν ἄρχων, ἢ ἰδιώτης, αἴτιος ᾖ τὸν θεσμὸν συγχυθῆναι τόνδε, ἢ μεταποιήσῃ αὐτὸν, ἄτιμον εἶναι, καὶ παῖδας ἀτίμους, καὶ τὰ ἐκείνου. »Lex. Quisquis magistratus, aut homo privatus, caussa sit hancce »legem everti, vel ipsam mutet, ἄτιμον eum esse, et filios, »et bona.” Lex ea pertinet ad poenas in homicidium statutas, ut ex contextu manifestum est. Ejusque ipsius poenalis sanctionis est appendiculum: verba θεσμὸν — τόνδε hoc indicant. Quae quidem verba confirmant, quod cum ex ipsa patet hac oratione, tum aliunde satis novimus, Draconis institutum significari. Ab hoc enim homicidarum poenas Athenis fuisse sancitas, easque postea diu etiam viguisse, res est pervulgata: item hujus leges proprie θεσμοὺς appellatas. Et illud porro agit Demosthenes, ut in istam legis partem incidisse Timocratem, ex eaque ostendat puniendum esse. Licet igitur hanc rem alibi proditam ignorem, disertis Demosthenes verbis credi omnino oportet, statuendumque, tunc etiam temporis hoc Athenis obtinuisse jus, ut qui leges de homicidio everteret vel mutaret, ipse ille cum liberis esset infamis bonaque ejus essent publica. Quam addamus, poenae accessionem personali in solos caeterum *fures* et δωροδόκους statutam vidimus supra Cap. X. p. 77.: Cap. XI. p. 78 et 87.

CAPUT XXIX.

Maritus qui cum adultera uxore cohabitaret.

Adulterium Athenis severissime fuisse punitum, severiusque adeo, si cum legibus de raptu et de stupro vi illato conferas, quam apud Romanos caeterasque gentes; res ea constat, nec tamen ad hunc locum pertinet. Illud nobis erat notandum, marito, qui adulterum apud uxorem deprehenderat, huic non amplius cum ipsâ cohabitare licuisse: sin secus fecisset, ἀτιμίᾳ fuisse notatum. Diserte Demosthenes In Neaer. p. 1374., legem citans, νόμον μοιχείας· Ἐπειδὰν δὲ ἕλοι τὸν μοιχὸν, μὴ ἐξέςω τῷ ἑλόντι συνοικεῖν τῇ γυναικί. ἐὰν δὲ συνοικῇ, ἄτιμος ἔςω. » Postquam » vero deprehenderit adulterum, non liceat ipsi (marito) » qui deprehenderit cohabitare cum uxore. Sin cohabi- » taverit, sit ἄτιμος." In qua Demosthenis auctoritate, quamquam idem alibi non proditur, omnino est acquiescendum. Et profecto insigne exstat discrimen, num *suspecta* quae sit adultera, an in ipso adulterio *deprehensa*. De quo discrimine, cumque ipso hoc loco Demosthenis, conferri mereatur L. C. 2. Ad L. Juliam De Adulter.

CAPUT XXX.

Lex in eum qui in seditione non alterius utrius partis fuisset. Jam tempore Lysiae in oblivionem abiit. Poena. Otiosus. Solonis prudentia.

Singularis profecto miraque, sed vel ob hanc caussam notissima Solonis est lex, qua *infamem*, *ἄτιμον*, esse jussit, si quis in seditione non alterius utrius fuisset partis. Legem illam refert Plutarchus in Vita Solonis p. 89. A. (1): tum de ejus ratione ita disputat, ut hanc in eo dicat positam fuisse videri, ne quis, de publica re parum sollicitus, privata negotia curare satis haberet, optimeque secum actum arbitraretur, si communis civium periculi expers, sua bona in tuto collocare, rebusque compositis, sese victori applicare posset. Et profecto, haud scio an ejusmodi cautio, in populari quidem, qualem Solon informavit, rei publicae statu, prudentissima fuerit, neve minus recte hoc illius viri consilium alio loco reprehenderit idem, quem modo citavimus, Plutarchus, Reip. Gerend. Praecept. p. 823. F et p. 824. Etenim sic se res habet, talem quidem civitatem omnino sine factionibus stare non posse: illud vero in primis eam continere, ut omnes boni viri ad rempublicam accedant, nec nimis, vel hominum ineptias ac stultitias fastidientes, vel otio delectati, sese ex concionum turbis et cla-

(1) Conferatur et idem Plutarchus De Sera Numinis Vindicta p. 550. C., p. 13. ed. W, et Wyttenbachius ad h. l. Animadv. p. 26.

more in literarum ac rei familiaris quasi portum recipiant, itaque civibus populum committant insanientibus ac seditiosis. Laudandus igitur Solon, qui quum populo rerum summam aut commisisset aut reliquisset, bonos et sapientes viros ad rem publicam constanti ac forti animo gerendam lege illa lata incitaverit. Neque tamen haec stabilis fuit nec diuturna. Nam et Plutarchus, alio loco, De Sollert. Animal. p. 965. D., quo legis ejusdem meminit, eam suo tempore dudum defecisse refert. Et longe superior aetate Lysias, orationem scribens accusatori cuidam, qui Philonem, in Senatum Quingentorum sorte allectum, honore illo indignum esse contendebat, et in solenni illa probatione accusabat eo nomine, quod quum bellum Triginta tyrannis cum exsulibus esset, neutri parti se adjunxisset, contra, patriâ relictâ, sedem sibi fortunisque suis apud exteros quaesivisset, nec nisi rebus compositis, Athenas rediisset: is igitur Lysias gravissime quidem reprehendit eos, qui pericula fugiant cum aliis civibus pro re publicâ communiter obeunda, et quibus adeo non in civitate, sed in fortunis suis, sita sit patria: verum eos ita reprehendit, ut vitae rationem ejusmodi naturâ turpem pronunciet ac vituperandam: et tamen, nullam de hoc crimine legem apud Athenienses exstare, adversario ipse concedat; quippe quum tantum scelus omnino legislator ne praevidere quidem potuerit (1). Ergo nobilissimae legis jam tunc memoria quoque obliterata fuit; siquidem eam Lysias, Orator spectatus in primis,

(1) Videatur Lysias Orat. XXXI. p. 869. sqq., in primis p. 886. Caeterum quod ibid. p. 888. Senatum rogat, ut Philonem, nisi aliis poenis afficiant, certe puniant τῇγε παρούσῃ ἀτιμίᾳ: illud duntaxat sibi vult, ne virum istum, ante civilium turbarum initium in civitate nobilissimum, nunc reducem, ad ullos honores admittant, neve in Senatum recipiant, itaque eam saltem ignominiam ipsi inferant qua privatus esse cogatur.

ne commemoravit quidem. Ut adeo quis forte in illam cogitationem incidat, Plutarchum errasse, nec, qualem dicat, legem Athenis umquam exstitisse. Sed cum ipse Plutarchus auctor sit sane gravissimus, tum ejusdem rei testes locupletissimi adsunt Aristoteles (apud Gellium II. 12), et Cicero, Ad Atticum X. 1. Neque vero is qui in Oratoribus Atticis modo mediocriter versatus sit, tantopere miretur, nullam ejus legis a Lysia mentionem esse factam. Etenim difficile dictu est, quanta Athenis confusio juris exstiterit, orta illa primum quidem ex ipsa judiciorum ratione, quae quum in omnium, infimi etiam generis, civium manu essent ac potestate, quumque omnes sese juris patrii peritos vel putarent vel profiterentur, eo ipso fiebat, ut nemo veram legum teneret scientiam, aut si qui essent, ii ipsi multo minus in eâ praesidii atque adjumenti, quam in eloquentia et aura populari, positum esse intelligerent. Tum confusionem illam in primis quoque auxerunt frequentes turbae ac seditiones quibus civitas agitata est; unde et leges ipsae aliquot intercidisse, vel descriptorum fraudibus interpolatae ac mutatae esse videntur (1).

Verum, ut jam in viam revertamur, illud quod Cicero d. l. ait, »Solonem capite sanxisse, si quis in seditione »non alterius utrius partis fuisset;" hoc ne quis cum Meursio, Them. Att. I. 12., ita interpretetur, quasi de poena legis auctores dissentiant: neve, ut idem Meursius alio loco, Sol. c. 15., Ciceronem memoriâ lapsum putet: quamvis hoc fortasse ferri possit; tamen utrumque caven-

(1) Hac de re conferenda est Lysiae Oratio XXX., quae est accusatio Nicomachi cujusdam, leges Solonis publico describere jussi. Quo loco quamvis multa oratorie amplificata esse lubenter concedamus, nec tantas Nicomachi fraudes fuisse videri quantae ab accusatore memorentur; illud quidem inde perspicuum est, insignem hac in parte Atheniensium fuisse negligentiam.

dum existimo. Nam ut *capitis damnari* ex Romanorum usu loquendi non tantum dicitur si quis mortis supplicio tradendus sit, sed item, si dignitatem, jura, patriam amittat; ita Cicero de Atheniensium ἀτιμίᾳ illud optime potuit usurpare: praesertim si hoc loco maximam infamiam, ἀτιμίαν ὁλόκληρον, intelligamus, quod verisimile judico, non certo tamen statuo. Gellius quidem, d. l. II. 12., aliquanto rem ornare atque amplificare videtur; ubi sic ait Solonem jussisse: »Qui tempore civilis dis»cordiae, non alterutrae parti se adjunxerit, sed solita»rius separatusque a communi malo civitatis secesserit, »is domo, patria, fortunisque omnibus careto, exsul »extorrisque esto:" quo modo, opinor, Aristotelis, ἀτιμίαν memorantis, ab ipsoque citati, sententiam exprimere voluit.

Quem vero, ex ea lege puniendum, pluribus hoc loco verbis designat Gellius, idem nonnumquam Latinis simpliciter dicitur *otiosus:* veluti est apud Ciceronem Ep. ad Div. IX. 6. § 7: »Crudeliter enim otiosis minabantur:" i. e. mediis, abstinentibus a bello: Pro Marcell. 7: »Qui»dam enim non modo armatis, sed interdum etiam otio»sis minabantur."

Caeterum quod ait Aristides, Tom. II. p. 278. 7. ed. Oxon. 1730, Solonem, civitate in duas contrarias factiones divisâ, quum alterutri earum cui vellet se ducem praebens, regnare posset, tamen neutri se applicuisse, ac medium inter plebem et optimates, id tantummodo, quod sibi aequum et bonum videretur, secutum esse: hic quidem locus ex eodem fonte expressus videtur ex quo hausit Diogenes Laërtius I. s. 58: qui prodit, Athenarum civitate in tres partes divisâ, urbanos, agrestes, maritimos, in hac igitur dissensione, nulli se parti addixisse Solonem. Quod viri factum, et aliis rebus, quas aggressus erat, ordinandis, et vero juri patrio constituen-

do utilissimum, non temere confundi oportet cum ratione legis istius ab eodem profectae et constitutae, quippe huic legi minime contrarium (1).

Eaque lex praesenti loco erat memoranda. Quamquam enim, ut vidimus, Oratorum aetate diu aboleverat: quum tamen simpliciter ἄτιμον esse jusserit qui contra fecisset, idque cum ex linguae usu, tum ex istis, de quibus item vidimus, auctorum locis, de ἀτιμίᾳ ὁλοκλήρῳ, παντάπασιν ἀτίμοις, videatur intelligendum; ergo subjungendam hanc legem duximus iis, quibus ex Andocide vidimus eamdem poenam sancitam fuisse: ὧν τὰ μὲν σώματα ἄτιμα ἦν, τὴν δ' οὐσίαν εἶχον καὶ ἐκέκτηντο· » quorum corpora » quidem erant ἄτιμα, qui tamen rem familiarem sibi » habebant ac possidebant: et paullo post: οὗτοι πάντες ἄτιμοι ἦσαν τὰ σώματα, τὰ δὲ χρήματα εἶχον· » hi omnes » corporibus erant ἄτιμοι, bona vero sibi habebant:" Andocides De Myst. p. 35.

(1) Sagacissimum de ea judicium fert, elegantissimisque, ut solet, exprimit verbis Montesquieu: Esprit des Lois XXIX. 3. Quam laudem et aliis confirmat argumentis De Pastoret: Histoire de la Législation T. 6. p. 184. sq.

CAPUT XXXI.

Actio inertiae, γραφὴ ἀργίας. Areopagi inspectio. Poena. Lex ea et aliis populis communis. Artium et quaestuum existimatio Athenis.

Et hoc loco valet similis ejus, quam in fine proximi Capitis adduximus, argumentatio. Narrat Plutarchus, Herondam Spartanum, quum Athenis quemdam moestissimo vultu incedentem et ab amicis deductum videret, ex iis qui aderant quaesivisse, quaenam tristitiae caussa esset: qui quum dixissent, hominem illum inertiae judicio fuisse damnatum: Quid tandem, exclamasse Herondam, itaque eum damnastis, quod ingenue ac liberaliter vitam egerit (1)? Et profecto sic erat, ut quod Lacedaemone honestissimum ac libero homine dignum otium haberetur, idem Athenis esset infamiae poena sancitum. Qua de re testimonia Veterum hodieque supersunt plura; quamquam de legis auctore, item de poena, non satis inter omnes constat. Nam Herodotus quidem, II. 177. p. 190., refert, Ægypti Regem

(1) Videatur Plutarchus Lycurg. p. 54. E. et Apophthegm. Lacon. p. 221. C. »Adstantes rogavit Herondas," inquit Plutarchus Lyc. l. c., τίς ἐςιν ὁ τὴν ἐλευθερίαν ἑαλωκὼς δίκην. οὕτω δουλοπρεπὲς ἡγοῦντο τὴν περὶ τὰς τέχνας καὶ τὸν χρηματισμὸν ἀδολεσχίαν. »quisnam esset liberali crimine damnatus. Ita servile quid existi»mabant occupationem in artibus et quaestu pecuniario."

Amasin jussisse, ut quoque anno apud regionum praefectos Ægyptii omnes profiterentur unde victum haberent: quod qui neglexissent, item qui injustum quaestum agere viderentur, eos morte puniri: hanc igitur legem a Solone ex Ægypto assumtam Athenas esse translatam, eoque laudabili instituto adhuc Athenienses uti. Et similiter quoque tradit Diodorus Siculus I. 77. p. 88. At vero Plutarchus, Harpocration, Diogenes Laërtius, Pollux (1), primum Athenis Draconem aiunt in inertes animadvertisse: et illi quidem produnt, mortis poenam ab eo esse statutam: Pollux ἀτιμίας meminit: Diogenes, nullâ poenae mentione factâ, simpliciter ait, Draconem legis auctorem exstisisse, eamdem postea confirmasse Solonem. Rursus idem, quem modo citavimus, Plutarchus, Solon. p. 90. E: »Solon," inquit, »artibus honorem addidit, »atque Areopagum jussit, animadvertere unde unusquis»que victum haberet, et inertes punire." Denique Theophrastus, ut ex eodem Plutarcho discimus ibid. p. 96. D., legem illam adversus ἀργοὺς non ad Solonem retulit, verum ad Pisistratum.

Nobis quidem, in hoc Scriptorum dissensu, temerarium videatur ea de re certo statuere. Fieri potest, illam severitatis famam quam Draco reliquit, hanc quoque apud posteros habuisse vim, ut legem, quam per se duram multis ac severam visam necesse est, ipsi complures tribuerent, licet a Solone profectam. Sed res quoque ita intelligi potest, actionem publicam adversus inertes jam a Dracone datam esse: legis vero auctorem ideo a multis habitum esse Solonem, quod is primum Areopago totius rei curam atque inspectionem dederit. Nam

(1) Plutarchus Solon. p. 87. E: Harpocration in Cod. M. S. Bibl. Reg. Cantabrig., citatus apud Taylorum Lection. Lysiac. c. 10. (Vol. VI. p. 298. Oratt. Gr. R.): Diogenes Laërtius I. s. 55: Pollux VIII. s. 43.

ea quidem confundi non oportet, actionem inertiae, γραφὴν ἀργίας, et facultatem Areopagi, rationes vitae a quocumque postulandi. Itaque etiam distinxit Valerius Maximus II. 6. n. 3 et 4: » Apud Athenienses inertia e » latebris suis, languore marcens, in forum, perinde ac » delictum aliquod, protrahitur, fitque ut facinorosae, » ita erubescendae rea culpae. Est et ejusdem urbis san» ctissimum consilium Areopagus: ubi quid quisque Athe» niensium ageret, aut quonam quaestu sustentaretur, » diligentissime inquiri solebat, ut homines honestatem, » (vitae rationem memores reddendam esse,) sequeren» tur." Etenim Areopagus quum antea non fere nisi tribunal fuisse videatur quod de caedibus judicaret, Solon ei magnam in primis conciliavit auctoritatem; siquidem inspectionem dedit scholarum ac gymnasiorum, aerarii publici atque tributorum curam, in omnes omnium ordinum atque aetatum cives, magistratus, judices, in rebus publicis ac privatis, animadversionem ac regimen morum; ut prorsus censoria ejus potestas esset (1). Postea cum alii plures deinceps vim Areopagi potentiamque debilitarunt, tum in primis eam fregit Pericles, ut antiquae illius auctoritatis, in re quidem publica, non nisi umbra quaedam remaneret (2). Nam fidei incorruptae atque integritatis in judicando famâ per multa saecula in primis excelluit Areopagus, ut diu etiam postea tribunal unum omnium apud Veteres fuerit celebratissimum. Senatus, βουλῆς, inde a Pericle nomen fere tantum habuit, et exiguae admodum fuerunt ejus partes in administrandâ civitate. Nisi quod legamus apud Andocidem Myster. p. 40., Triginta tyrannis expulsis, novâque, Archonte Euclide, legum recensione facta: quam alteram veluti νομοθεσίαν frequenter commemorant Oratores: igi-

(1) Hac de re legendus est Meursius in Areopag. c. 9. p. 69—79.
(2) Meursius ibid. p. 79—84.

tur veteribus Draconis Solonisque legibus denuo solenniter confirmatis, item multis novis additis, populum scivisse, ut Areopagus hisce omnibus legibus constitutis (1) provideret iisque magistratus uti curaret omnes. Cujus ipsius inspectionis major honos, quam vis et efficacia, fuisse videtur. Mansit vero semper penes Areopagitas quaedam religionis ac sacrorum cura: de qua conferatur Demosthenes In Neaer. p. 1372: item ea, quae nobis hic

(1) Hoc enim sensu intelligendum est quod ait Andocides ibid. p. 40., Areopagum curare debere ut magistratus utantur *τοῖς κειμένοις νόμοις*, i. e. legibus *constitutis*, *ratis*, *scriptis*. Similiter dicitur ab ipso hoc Andocide ibid. p. 34: *κατὰ τὸν νόμον τὸν κείμενον· secundum legem quae adhuc obtinet:* ubi lex ea opponitur psephismati quod olim ratum et in usu erat, nunc abolitum est, quodque vocatur *ψήφισμα πρότερον γενόμενον·* ut idem Andocides ibid. p. 41 fin. memorat *ψηφίσματα τὰ πρότερον γενόμενα·* tum vero p. 44. ex jurejurando judicum illud refert, eos, munus adeuntes, hoc quoque jurasse: *ψηφιοῦμαι κατὰ τοὺς κειμένους νόμους· sententiam feram secundum leges constitutas*, idque ipsum, iisdem verbis utens, porro p. 45. fin. explicat. Scribitur item ab Isaeo Or. II. p. 46.: *ὀλίγωρον τῶν νόμων τῶν κειμένων, contemtorem legum scriptarum:* Demosthene In Timocrat. p. 720. 13: *ὁ ὑφ᾽ ἑαυτοῦ πρότερον κείμενος νόμος, lex ab ipso prius scripta*, i. e. proposita: ibid. p. 713. 6.: »quoad publicanos," caet., *τὰς πράξεις εἶναι τῇ πόλει κατὰ τοὺς νόμους τοὺς κειμένους*, »res esse civitati secundum leges constitutas:" In Stephan. II. p. 1132. 19: *εἰ γάρ τις ἔροιτο ὑμᾶς, καθ᾽ ὁποίους νόμους δεῖ πολιτεύεσθαι ἡμᾶς, δῆλον, ὅτι ἀποκρίναισθ᾽ ἂν κατὰ τοὺς κειμένους.* »Si quis enim vos roget, secundum quales leges oporteat »nos rempublicam regere, manifestum, vos responsuros, secun»dum leges constitutas." Cf. et Idem In Timocrat. p. 746. 27. *Αἱ συνθῆκαι κείμεναι, conditiones constitutae, scriptae*, est apud eumdem In Aristogit. I. p. 791. 5. Pari dixit ratione Lysias, Contr. Frument. p. 714: *τοῖς νόμοις τοῖς κειμένοις ἐβόηθην, legibus constitutis auxiliabar:* Idemque In Alcibiad. I. p. 523. *ταῖς κειμέναις ζημίαις ἔνοχος γενέσθαι, poenis constitutis obnoxius esse.*

in primis commemoranda erat, in inertes atque otiosos animadversio: de qua insignis exstat locus Isocratis, Areopagit. p. 147. sq., memoratus Meursio in Areopago c. 9. p. 71. sq. Hinc est quod Diogenes Laërtius VII. s. 168. sq. de Cleanthe refert, ab hoc rationes exegisse Areopagum unde victum sibi quaereret: itaque Cleanthem, testibus adductis, probasse, se interdiu quidem Zenonis scholis operam dare, noctu vero in hortis aquam haurire, item farinas pinsere: huncce Areopagitas admiratos decem minis donare voluisse: ipsum, Zenonis jussu, recusasse. Similis historia de Menedemo et Asclepiade philosophis narratur apud Athenaeum IV. 19. p. 168.

Id igitur, ex gravissimo Herodoti testimonio, loco supra adducto, certo statuendum videtur, Solonem ab Ægypti Rege Amasi sumsisse: ut quemadmodum ille jusserat quemque singulis annis apud provinciae praefectum (Nomarchum) unde victum sibi haberet profiteri: sic Solon, ipsum institutum imitatus, non item poenae severitatem, Areopago hanc curam et inspectionem dederit, ut diligentissime de singulis civibus inquireret, quamnam vitae degendae rationem tenerent et quaestus agendi.

Jam de lege adversus inertes lata paucis videamus. Verbo ejus meminit Demosthenes Adv. Eubulid. p. 1308. 18. Et Lysiae antiquitus fuit Oratio, quae in reo hujus criminis accusando versabatur: cf. Taylorus Lect. Lysiac. l. c. p. 299; cujus Orationis hodieque mentio exstare videtur apud Harpocrationem, (citatum a Tayloro ibid. p. 298,) et Diogenem Laërtium I. s. 55: quamquam hic contra Niciam, Harpocration contra Aristonem, habitam esse refert. Actionem fuisse publicam, γραφὴν ἀργίας, constat ex Polluce VIII. s. 40: Diogene Laërtio l. c. Aristide Tom. I. p. 444. ed. Oxon. 1730. Poena, quod sciam, non nisi a Polluce VIII. s. 43. et Harpocratione d. l. memoratur. Et ille quidem ἀτιμίαν a Dracone sta-

tutam ait: Solonem vero hac ratione demum punivisse eum qui ter judicio isto esset damnatus. Harpocrationis locum, quia tantum in M. S. Cantabrigiensi, non item in editionibus exstat, tum vero quia rem in primis illustrat, hic ex Tayloro p. 298. integrum apponamus. Ἀργίας δίκη. Λυσίας ἐν τῷ κατὰ Ἀρίστωνος φησί· ὅτι Δράκων ἦν ὁ θεὶς τὸν νόμον, αὖθις δὲ καὶ Σόλων ἐχρήσατο, θάνατον οὐχ ὁρίσας, ὡς ἐκεῖνος, ἀλλ' ἀτιμίαν, ἐὰν τρὶς (ita enim cum Tayloro legendum est pro vitioso ἐάν τις) ἁλῷ, τίσαι· ἂν δ' ἅπαξ, ζημιοῦσθαι δραχμὰς ἑκατόν. »Actio inertiae. Lysias in Oratione contra Aristonem ait: quod »Dracon fuit qui legem constituit, rursus autem Solon »quoque ea usus est, mortem non (poenam) statuens, »ut ille, sed infamiâ, si quis ter damnatus fuerit, notari: »sin vero semel, mulctari centum drachmas." Et siquidem hac de re ex ipsis, quoad supersunt, Oratoribus nil constet, tum vero haud contemnenda sit Harpocrationis, praesertim Lysiam citantis, auctoritas; nos quoque ei credamus, mortis poenam, a Dracone definitam, (nam in eo quidem omnes, praeter unum Pollucem, consentiunt,) a Solone abolitam, atque in eum, qui semel in legem incidisset, mulctam centum drachmarum constitutam esse: illo, qui ter peccasset, ἀτιμίᾳ punito (1).

Nec vero cuiquam, cum veterum Atticorum Comoediam, tum eorumdem philosophandi rationem, haud prorsus ignoranti, mirum videatur, haec nomina, ἀργίαν

(1) Hanc ἀτιμίας poenam in eum statutam esse qui *ter* in legem incidisset, eo minus mirari oportet, quod supra simile quid vidimus de illis qui *ter* damnati essent ψευδομαρτυριῶν vel ψευδοκλητίας: Cap. XIX et XX, p. 123-138. — Caeterum qui primo hac lege damnatus itaque non nisi pecunia mulctatus esset, ipsum tamen, *donec solvisset*, fuisse ἄτιμον· hoc quidem ex iis sponte sequitur quae supra hoc eodem Capite prodidimus: nam erat ἀργίας actio publica, γραφὴ· damnatus, ὀφείλων τῷ δημοσίῳ. Cf. infra Capp. XXXVI et XL.

et ἀργοὺς, ab eorum Comicis saepissime et quasi solenniter per jocum usurpata esse de philosophis: cujus rei hodieque in Aristophane aliisque Scriptoribus exstant vestigia, et de eâdem docta est animadversio Lentingii Ad Euripidis Medeam v. 298 p. 111.

Quod Aristides, loco paullum ante citato, existimabat, hanc legem propriam fuisse solis Atheniensibus (1), in eo quidem fallebatur. Etenim, ne Ægyptios rursus memoremus, de quibus supra jam dictum est, praeterea similis quoque lex fuit Sardorum, auctore Æliano Var. Hist. IV. 1: item Lucanorum: conferatur Nicolaus Damascenus apud Stobaeum Serm. XLII. p. 291. 43. ed. Canteri: Perizonius Ad Ælianum d. l. Is vero ibidem minus apposite alium ejusdem Æliani locum, II. 5., excitat de Lacedaemoniis, qui non in hanc rem valet, quippe quo loco minime significatur, otium Spartanis fuisse punitum, verum Spartanos otium illud gymnasticis exercitationibus, non deambulationibus, transegisse, eos nil illiberalis operis egisse: de qua honesta ab opere vacatione notantur et alia a Wyttenbachio in Suppl. ad Annot. Sel. Histor. p. 452. sq: Valckenario Schol. in Euang. Luc. 10. 3. Tom. I. p. 178. Thraces etiam, auctore Herodoto V. 6., ἀργίαν honorant, bello et praedatione gaudent, agri culturam despiciunt. Corinthii contra, quae civitas mercaturâ et opificiis in primis florebat, institutis quoque usi sunt ejusmodi quae ad inertiam compescendam valerent: videatur Athenaeus VI. 3. p. 227. F.

Et vero hisce Corinthiis tantummodo exceptis, reliquos

(1) Sic enim Aristides l. c., T. I. p. 444., ad Athenienses: "Ἐπειτα νόμος παρ' ὑμῖν, ὡς ἐγὼ νομίζω, μόνοις ἐςὶν, ὁ γραφὰς πεποιηκὼς ἀργίας, ἵνα μηδεὶς σχολάζῃ περὶ καιρὸν μηδ' ἀμελῇ, μηδ' ἀπραγμοσύνην τὸ νωθρὸς εἶναι καλῇ. » Siquidem lex apud vos, » ut puto, solos est, actiones constituens inertiae, ut nemo tem- » pus conterat nec negligat, neque otium vocet inertem esse."

Graecos omnes, item Ægyptios et alios barbaros plerosque, in primis vero Lacedaemonios, minus honesto loco habuisse artifices eorumque liberos, contra honestissimo eos qui nulli arti mechanicae operam dantes, militiam profiterentur: hujus quidem rei gravissimus auctor est Herodotus II. 167. De quaestu ex metallis, omnibus Graecis improbato, exstat animadversio Plutarchi in Crasso p. 565. C. Et de vilitate cauponum, portitorum, praeconum (1), coquorum, aleatorum, lepide, ut de omnibus, loquitur Theophrastus Charact. c. 6., ad quem conferendus est Casaubonus in Comm. p. 87. sqq. ed. Fisch. Athenis Solon unguentariam facere viros prohibuit: ut bis quidem Athenaeus, ex eoque refert Petitus Ad L. L. Att. p. 522. Ibidem frumentaria solis inquilinis relicta est, civibus nisi interdicta, certe despecta et illiberalis habita: quod quidem colligendum videtur ex Lysiae Oratione XXII. p. 712. sq.: quacum conferri potest Taylorus Lect. Lysiac. c. 11. n. 22. p. 321. sqq. Haud satis quoque honestum nec cive dignum arbitrabantur, si quae foemina esset nutrix: teste Demosthene Adv. Eubulid. p. 1309; quamvis id tunc temporis, ob res civitatis adversas, a pluribus factitatum esse refert. Nec mirum profecto, Athenis, ut ubique, alias vitae degendae rationes magis quam alias in honore et existimatione fuisse.

Universe autem Athenarum civitas omnes artes, cum ad vitae necessitatem, tum ad voluptatem pertinentes, partim invenit ipsa, partim probavit, et cum aliis communicavit: ut vere ait Isocrates, loco illustri, qui est Panegyr. p. 48. Nec minus vere et magnifice Idem Areopag. p. 155. A., eosdem viros cum artium peritis-

(1) *Praeconem esse, τὸ κηρύττειν,* Athenis non unâ dicebatur significatione; itaque et hoc loco distinguendum est: ut bene monet Fischerus Ind. Theophr. v. *κηρύττειν.* Conferri potest supra Caput XXV.

simos pronunciat, tum fortitudine et prudentia excellentes. Minime itaque mirandum, ibidem non licuisse exprobrare cuiquam, seu viro seu foeminae, quod in foro merces venderet: Demosthenes In Eubulid. p. 1308 pr.: ipsosque adeo artifices nonnumquam praemiis donatos videri: qua de re legendus est Petitus d. l. p. 523. Quin ipsius Solonis fuit lex, e Plutarcho in Solon. p. 90. D. jam antea nobis memorata, quae sanctissimum patris alendi officium remittebat filio, nullam ab ipso patre artem edocto.

Antequam vero huic Capiti finem imponamus, age, locum Demosthenis memoremus, qui cum per se pulcherrimus est, tum ad hanc ipsam rem pertinet. Demosthenes igitur, In Aristogit. I. p. 785. sq., sycophantam Aristogitonem gravissime insectatur, et quum Athenienses reliquos omnes negotiis seu publicis seu privatis occupatos monstrasset, tum contra Aristogitonem istum, nec rebus civitatis, neque agri culturae, neque arti ulli aut quaestui honesto operam dantem, sed solum per forum circumcursitantem depingit, tamquam viperam aut scorpionem, erecto aculeo, huc atque illuc saltitantem, et circumspectantem, cui vel calamitatem, vel calumniam, vel malum quodcumque affricans metumque injiciens, nummos ab eo extorqueret.

CAPUT XXXII.

Qui depositum non reddiderit.

Meursius Them. Att. II. 23. p. 120 ex Michaële Ephesio ad Aristotelem Ethic. Lib. V. haec adfert: Ὁ μὲν γὰρ νόμος καθόλου κελεύει, τὸν μὴ ἀποδιδόντα τὴν παρακαταθήκην, ἄτιμον εἶναι. »Lex enim universe jubet, eum qui »non reddat depositum, esse ἄτιμον." De Atheniensium lege hoc dici a Michaële, ex ipso Aristotele, locique nexu, non dubitanter illud affirmandum est. Neque tamen solius Grammatici tantum tribueremus auctoritati, ut re vera sic Athenis obtinuisse statueremus, nisi aliud accederet argumentum hujusmodi. Omnes etenim novimus, jure Romano, actione directa depositi damnatum fuisse *infamem*. Quod eo valet, quum leges Romanorum, in primis quod proprium civile jus attinet, longe maximam partem fluxerint ab legibus Atheniensium, ut hic quoque haud temere statui posse videatur, idem jus Athenis fuisse. Παντάπασιν quidem ἄτιμον fuisse damnatum, quamquam non ita certo statuimus, verosimile tamen judicamus, quod ejusmodi fere duntaxat generis *infames* dici solent Romanis Jurisconsultis.

CAPUT XXXIII.

Conditio τῶν καθάπαξ ἀτίμων.

Gravissimam hujusmodi hominum Athenis conditionem pluribus hic explanare, duae obstant caussae, quo minus necessarium judicemus. Et primo quidem, partim id occupavimus, ubi de singulis diximus delictis; partim videbimus postea, quando de ὀφειλόντων, *publicae rei debitorum*, communi exponemus conditione. Nimirum de hisce, multo magis quam de καθάπαξ ἀτίμοις, Scriptores per partes declarant. Rei caussa in promptu est. *Omnibus* videlicet, nomen indicat ipsum, civilibus hosce juribus fuisse destitutos, jurium earum communium *nullius* participes fuisse: ut his iisdem verbis de iis scriptum est apud Demosthenem De Rhod. Libert. p. 200. 13: μηδενὸς τῶν κοινῶν μετέχειν. Conferantur Philipp. III. 122. 12., aliaque plura, cum ejusdem Demosthenis, tum aliorum loca Oratorum. Quod non ita universe valebat neque sine exceptione de ὀφείλουσι. Quibus quum nominatim hisce illisve interdictum fuerit civitatis partibus: καθάπαξ ἀτίμους contra, cum in hujus disputationis initio, tum ubi de generibus dictum est eorum, abjectissimis fere hominum mortuisque adeo vidimus aequiparatos. Minime itaque miremur, nil fere magis enucleatum apud Veteres exponi, neque memorari partes rei nulla exceptione circumscriptae.

Duos equidem modo repperi locos, quos singillatim hic exponendos censeam.

Alter est ille Demosthenis In Neaer. p. 1353. 16. Τοῦ μὲν Ξενοκλείδου οὐκ ἂν δυναίμην ὑμῖν μαρτυρίαν παρασχέσθαι· οὐ γὰρ ἐῶσιν αὐτὸν οἱ νόμοι μαρτυρεῖν· » Xenoclidis quidem » non possim vobis testimonium exhibere; neque enim » sinunt eum leges testem esse." Ratio paullo ante erat reddita: γραφεὶς ἀστρατείας, ἥλω καὶ ἠτιμώθη· » accusatus » militiae derelictae, damnatus est et ἄτιμος factus." — Hujusce ergo generis, cujus ἀστρατείας damnatos, id est καθάπαξ ἀτίμους, *testes publice fieri* vetabat lex. Quod de ὀφείλουσι nullibi scimus proditum, omninoque ad illos duntaxat referri debere videtur.

Ab eodem Demosthene proditur, In Mid. p. 533. sq., his καθάπαξ ἀτίμοις non licuisse, neque *choros docere*, χοροὺς διδάσκειν, neque *iis inesse*, χορεύειν. Quos tamen, si id facerent, quum non posses ad magistratum deferre, ut res erat si peregrinus in choro saltaret, verum eos manu ipsum tuâ prehendere deberes ac de scena deducere: quumque id saepius prae pudore non auderent homines; hinc saepius in eam committebatur legem. Exemplaque ibidem adfert Demosthenes, cum Sannionis cujusdam, ἀστρατείας damnati, nihiloque secius choros docentis tragicos: tum Aristidis, cui simile quid accidisset, nec minus tamen is primas in choro suo ageret.

Idque igitur utrumque in καθάπαξ ἀτίμους quum statutum sit, neutrum eorum ad ὀφειλόντας quoque putamus pertinuisse.

At vero majus exstat, idque insigne, inter duo haec genera hominum discrimen, itidem duplex. Omnes ii, primum, de quibus exposuimus, erant ἄτιμοι τὰ σώματα, *personis: patrimonium, bona*, τὴν οὐσίαν, τὰ χρήματα, retinebant. Diserte illud, et bis quidem, declarat Andocides: vid. supra Cap. II. p. 7 et 8. Ratio rei

perspicua est; poenas luebant delicti proprii et personalis, quaeque poenae ita personae eorum quasi adhaerescebant. Huic vindictae primariae, in illis quidem gravissimi generis criminibus quae Patroclides ab immunitate exceperat et de quibus dictum est Capp. IV—IX, adjuncta erat publicatio bonorum. Non similiter in reliquis, ista exceptione non comprehensis, delictis. Quae si ad pecuniae rationem pertinerent, omnino leges dupli plerumque, aliquando decupli jubebant poenam: referente Dinarcho In Demosth. p. 44: utque ipsi Capp. X. et XI. plenius exposuimus. Neque ibi vero, nec magis quam in caeteris criminibus, damnatorum bona publicabantur. In paucissimis solummodo illud, quaeque non memorat Andocides: cff. Capp. XXII., XXIV, XXVIII.

Quodsi hac in parte melior esset hominum hujusmodi conditio, quam ὀφειλόντων, *publici aerarii debitorum*, quorum postea, Capp. XXXVI et XLII, videbimus bona omnia publicata fuisse: contra, quod ad personam attinet, multo pejori ipsi versabantur loco. Non enim, ut illi, (cf. infra ibid.), pecuniae nec quantaevis solutione ἀτιμίαν redimere statumque poterant recuperare. Ἄτιμοι erant et remanebant quamdiu in vivis essent. Nonnulli eorum, ad filios adeo transmittebant infamiam: vid. Capp. X. XI. XXIV, XXVIII. Quod quamquam in reliquis non obtinebat, ii ipsi tamen omnes per totam deinceps vitam juribus civium illis carebant omnibus; ut καθάπαξ, παντάπασιν ἄτιμοι, *penitus, omnimodo infames*, haud minus essent quam vocarentur. Cf. et supra Cap. II. p. 14 et 15. Unde et de hujusce homine generis ait Demosthenes In Mid. p. 546. 29., eum ἁπλῶς, *simpliciter, absolute*, esse ἄτιμον· eosdemque nudo hoc nomine significatos, seorsimque memoratos vidimus cum ipsos, tum ὀφείλοντας, et alibi saepissime, et in Patroclidis psephismate illo, ibid. p. 11. 5.

CAPUT XXXIV.

Damnati ad remum, falso καθάπαξ ἀτίμοις annumerati. Item filii exheredati: — sycophantae.

Et vero hic ἀτίμοις sunt quoque qui falso annumerantur. Alia de hac ipsa re alibi monuimus; tum auctoritati Grammaticorum Rhetorumque viros doctos subinde nimium tribuisse. Cf. Cap. XXI. p. 150. sq. Exemplum item est apud Petitum Ad Leg. Att. IV. 9. 3. p. 455, huc referentem *publico judicio ad remum damnatos:* solo nimirum testimonio nisum Scholiastis ad Aristophanem Ran. v. 1103. sqq., qui, quum poëta ex persona Æschyli magno cum contemtu loquatur de remigibus, hoc addit: ἄτιμοι δὲ οὗτοι ἦσαν. Inde Petitus, recte observans eos qui ad remum mercede conducebantur, θῆτες, *proletarios*, eos fuisse, non *infames*, ἀτίμους· ergo hoc loco intelligit *qui ad remum publice damnati essent:* ejusque homines generis ad καθάπαξ ἀτίμους refert. Atqui supplicium ejusmodi ab Atheniensium moribus longissime abhorret, neque ullum hodieque ejus rei apud veteres Scriptores apparet vestigium. Scholiastes, nisi ipse erraverit, non ita proprie hic loquitur, nec significat nisi illud, remiges fuisse vile despectumque hominum genus.

Similique res modo se habet cum *filiis* qui *a patre* essent *exheredati*. Et hos quidam, ex locis Libanii Declam. XL, Tom. 1. p. 853. D. 854. A: Luciani Abdic.

c. 1. Tom. 2. p. 160., ad ἀτίμους illos, de quibus egimus, referunt. Sed ex Libanio nil conficitur, nisi homines istos pessime audivisse, itaque infamia quadam facti laborasse. Nec mirum profecto. Eodem accipias sensu apud Lucianum, ubi filius iterum abdicatus sic ait, » sese a patre post primam exheredationem ideo in » breve tempus receptum videri," ἵν' ἀτιμότερος γένωμαι πολλάκις ἐκπεσὼν τῆς οἰκίας, » ut eo pejus audiar, sae» pius e domo dejectus."

Neque huc referendi sunt *sycophantae*. Locus Æschinis De Fals. Leg. p. 339., quem citat Wachsmuthius II. 1. p. 276, et unde conficit, poenam sycophantiae ordinariam fuisse ἀτιμίαν, manifesto nil is ad poenam judiciariam: plures simpliciter ibi homines enumerantur vilis despectique generis, adeoque pessime audientes. De sycophantia verbo monuimus supra Cap. XX. p. 137.

CAPUT XXXV.

Qui sese ipse interfecerit.

Eum qui sese ipse interfecerit, ejusmodi hominem proprie infamiâ notari posse nullâ, quippe mortuum, hoc quidem est in promptu. At vero animadvertendum omnino est, ignominiam, quae inde apud alios populos exstitit complures, eamdem et apud Athenienses obtinuisse. Et per se quidem magnam id habeat veri speciem, ad ipsos quoque respexisse Aristotelem Nicomach. V. 15., qui quum de culpa ejusmodi facinoris disputasset, tum addit: Διὸ καὶ ἡ πόλις ζημιοῖ, καί τις ἀτιμία πρόσεςι τῷ ἑαυτὸν διαφθείροντι, ὡς τὴν πόλιν ἀδικοῦντι. » Propterea et » civitas punit, et quaedam infamia adest ei qui se ipse » interfecerit, utpote qui civitatem laeserit." Ἀδικεῖν τὸν δῆμον, idem quod h. l. ἀδικεῖν τὴν πόλιν, vidimus supra Cap. VII. p. 47. ipsam fuisse psephismatis formulam qua usus est Canonus ille, ut qui factis in id suis incidissent, severissimo punirentur supplicio. Sed disertis Æschines verbis, In Ctesiph. p. 636. sq. Καὶ ἐάν τις αὑτὸν διαχρήσηται, τὴν χεῖρα τὴν τοῦτο πράξασαν χωρὶς τοῦ σώματος θάπτομεν. » Et si quis se ipse occiderit, manum » quae hoc fecit seorsim a corpore sepelimus." Quod lege utrum expressâ statutum, an ita receptum sit moribus, nunc non pronunciamus. De re quidem dubitari non potest, Æschinique eam ita tamquam pervul-

gatam apud judices memoranti absque ulla dubitatione credendum est. Idque hoc praesenti putavimus notari loco oportere, quod ignominia illa mortuo illata ad gravissimum sane pertinuisse censenda sit genus, itaque ejus notatio proxime esset subjungenda iis quae habuimus de καθάπαξ ἀτίμοις.

Contra, quod Meursius Them. Attic. I. 19. ex Libanio narrat, quasi legibus Atheniensium licuisset, quasdam ob caussas, et sub conditionibus quibusdam, mortem sibi ipsum inferre, ad Sophistarum commenta recte id refert Wesselingius Ad Petit. Comm. ad L. A. III. 2. p. 627.

CAPUT XXXVI.

Ὀφείλοντες τῷ δημοσίῳ, debitores publici aerarii. Prima classis, debitores ex contractu publicaeve pecuniae possessores. I. *Τελῶναι, publicani.* II. *Οἱ τὰ μισθώσιμα μισθούμενοι.* III. *Utrorumque praedes, ἐγγυηταί.* IV. *Ἐκλέγοντες.* V. *Sacrarum publicarumve pecuniarum detentores: προσκαταβλήματα.* VI. *Praedes reliquorum ὀφειλόντων.*

Saepissime apud Oratores Atticos memorantur *οἱ ὀφείλοντες τῷ δημοσίῳ, debitores publici aerarii:* quibus quum civitatis jure non plene frui liceret, ad *ἀτίμους* illi quoque referebantur. Sed quoniam ipsi varii erant generis, prout diversa erat debiti caussa; nobis quidem optimum visum est, has caussas primum explicare, deinde ea tradere quae ad communem illorum debitorum conditionem pertinent. Etenim haec multo melius faciliusque tum intelligentur, si ante omnia viderimus, unde repetendus sit cum ingens hominum istorum numerus, tum miser eorumdem status.

Et diversa quidem aerariorum genera satis diligenter recenset Andocides, loco illo, saepius jam a nobis citato, quemque supra initio hujus disputationis integrum apposuimus. Universe ad duas classes possunt referri. Nam vel pecunias publicas possidebant, omnino, ut alii privatis, sic illi populo reique publicae ex contractu si-

milive caussa debebant: vel a magistratibus judicibusve damnati erant mulctae publico solvendae. Insigne inter utramque hanc classem discrimen, in ipsa profecto re positum, pluribus exponit Demosthenes In Aristogit. I. p. 795. med. sqq.

Ad alteram igitur classem, (quam hoc Capite spectabimus,) pertinebant *publicorum vectigalium redemtores*, *οἱ ὠνὰς πριάμενοι ἐκ τοῦ δημοσίου*, ut uno nomine vocat Andocides d. l. p. 35. Alibi autem subinde distinguuntur: veluti a Demosthene In Timocrat. p. 713. 3: (nam ipsa loca, perspicuitatis caussâ, addidisse juvat:) *περὶ δὲ τῶν ὠνουμένων τὰ τέλη, καὶ τῶν ἐγγυωμένων καὶ ἐκλεγόντων, καὶ τῶν τὰ μισθώσιμα μισθουμένων, καὶ τῶν ἐγγυωμένων*· paullo post, l. 12: *περὶ τῶν τελωνῶν, καὶ τῶν μισθουμένων, καὶ ὅσοι ταῦτα ἐγγυῶνται*· ibid. p. 719. 14: *περὶ τῶν τελωνῶν, καὶ τῶν μισθουμένων, καὶ τῶν τούτων ἐγγυητῶν*· p. 745. 15, ubi in jurejurando Quingentorum scriptum est, eos neminem civem in carcerem conjecturos, qui quidem sponsionem det legitimam, nisi cum alios nonnullos, tum si quis *ἢ τέλος τι πριάμενος, ἢ ἐγγυησάμενος, ἢ ἐκλέγων, μὴ καταβάλλῃ.* — Hinc itaque memorandi videntur.

I. *Οἱ τελῶναι, οἱ ὠνούμενοι ἢ πρίαμενοι τὰ τέλη*, *publicani, qui vectigalia publica redemerunt sive conduxerunt:* quorum meminit v. c. Andocides De Myster. p. 45: Demosthenes In Timocrat. p. 713. 3 et 12: p. 719, 14: p. 745, 15. Multa utique et varia Athenis erant vectigalia, quae nunc recensere longum foret: universe notari potest, magnam inter Atheniensium atque Romanorum instituta hac in parte cerni convenientiam. Verbo memoremus, Athenis haud ignotum fuisse *τὸ τέλος τὸ πορνικὸν*, idque item, ut alia vectigalia, publice locatum: cf. Æschines In Timarch. p. 134. Ipsum nomen, publicanus, *τελώνης*, aliquando in convicium ponitur: quae

res, vulgo sane notissima, cum aliunde constat, tum de Athenis ex Aristophane praesertim, veluti Equit. v. 248. Eadem ratione, per convicium, Demosthenes In Mid. p. 568. 7. τελωνίαν, *redemtionem vectigalium*, vocat Midiae trierarchatum, quippe quod munus huic viro non modo non sumtuosum, quale debuisset, et onerosum, sed etiam lucrosum fuisset: ut bene hunc locum explicat Reiskius in Indice.

II. Demosthenes in Oratione in Timocratem, locis citatis, saepius meminit τῶν τὰ μισθώσιμα μισθουμένων, eosque a publicanis, τελώναις, distinguit. Intelligendi videntur *omnes qui aliquid e publico, praeter vectigalia, redemerunt:* idque apposite ex Jure Romano illustrat Taylorus ad Demosthenem In Timocrat. p. 713. 4. (Tom. 9. p. 770. R.). Nam in L. 13. pr. D. De Publican. ita scriptum est: »Sed et hi qui salinas, et creti fodinas, »et metalla habent, publicanorum loco sunt." Similiter Athenis obtinebat. — Itaque huc referendi sunt cum alii, tum ii qui metalla conduxerant: memorat hos Demosthenes Adv. Pantaenet. p. 973: De Fals. Legat. p. 435. 7. Quorum e munero Callias quidam magnas inde pecunias fecerat: ut refert Nepos Cimon. 1. — Eodem pertinent conductores agrorum diis heroibusve sacrorum: Demosthenes Adv. Macartat. p. 1069. fin.

III. Et vero publicani, et reliqui omnes qui publica redimerent, dare jussi erant *praedes*, ἐγγυητάς. Qui, si nec redemtores, nec ipsi, tempore solvissent, eadem prorsus erant conditione, iisdemque, quibus illi, tenebantur legibus. Unde et eorum, apud Demosthenem, locis citatis, mentio exstat.

IV. Ab eodem Demosthene, in Timocrat. p. 713. et p. 745., praeterea nominantur οἱ ἐκλέγοντες. Hos Taylorus, ad Demosth. l. c. (Tom. 9. p. 770 R.), intelligit *ministros publicos, fisci servos, qui vectigalia a nemine*

redemta ad portum exigunt, vectigaliarios, portitores: atque in hanc sententiam citat Ulpiani Scholion ad eumdem Demosthenis locum: ἐκλεγόντων δὲ, ἐπιτετραμμένων τινῶν ἀπαιτεῖν τὰ τέλη· οὐ γὰρ λέγει αὐτοὺς τοὺς τελώνας (1). Reiskius contra in Indice Demosth. v. v. τέλος et ἐκλέγειν, illo nomine vocari putat, *qui loco et jussu publicanorum a mercatoribus, nautis, carrhucariis, aliis quibusque, vectigalia exigebant.* Ἐκλέγειν τὸ τέλος est simpliciter *vectigal exigere:* veluti apud Æschinem In Ctesiph. p. 504, alibi: et ita subinde de ipsis publicanis usurpatur, qui dicuntur ἐκλέγειν, apud eumdem Æschinem In Timarch. p. 134: Andocidem De Myster. p. 45. pr. Neutram itaque interpretationem ratio grammatica respuere videtur: nec locus Ulpiani rem satis dirimit. Magis tamen, mihi quidem, Taylori placet sententia: modo fisci *servos* ne dicamus τοὺς ἐκλέγοντας, qui omnino homines erant liberi. Sed tum apud Demosthenem l. c. p. 713 legendum videtur ita: περὶ δὲ τῶν ὠνουμένων τὰ τέλη, καὶ τῶν ἐγγυωμένων, καὶ τῶν ἐκλεγόντων, κ. τ. λ. Nisi potius cum Boeckhio Staatshaush. Tom. I. p. 359. fin. difficultatem distinguendo expedire malimus, eamdemque hanc vocem dupliciter usurpari statuamus, ut quoque loco res sit interpretis definire, quanam ratione is intelligendus sit et explicandus (2). Verum haec hactenus.

Igitur, ut reliqui ὀφείλοντες omnes, sic illi quos adhuc recensuimus, nisi intra nonam Prytaneam, id est intra

(1) Ita recte Ulpiani locum exhibet Taylorus. In ed. Francof. p. 812. C. vitiose scriptum est: ἐκλεγόντων δὲ, ἐπιτετραμμένων τινῶν ἀπαιτεῖν αὐτὸς τὸς τελώνας.

(2) Hunc totum locum de publicanis fuse tractat Boeckhius ibid. p. 358--368: qua disputatione eorum pleraque quae erant dicta a nobis, vidimus confirmata pluribusque testimoniis corroborata: neque, in paucis aliis, a nostra putavimus sententia recedere nos oportere.

annum; debita solvissent, cum dupli tenebantur, tum eam in rem bona eorum fiebant publica. Sed hoc postea videbimus Cap. XLII. Tenendum, caeteros, si non solvendo essent, inde ab initio et ex quo debitores fierent in jus vocari, porro caussa cognita, et judicis sententia damnatos, in carcerem conjici potuisse: eos vero qui publica redemissent, eorumque vades, non opus fuisse ut in judicio rei fierent: quos statim, indicta caussa, Senatus Quingentorum suo arbitrio vinciri posset jubere. Hoc enim cautum erat legibus: νόμους τελωνικοὺς vocabant; quasi *leges publicanas* ajas. Eaque de re inspici potest Demosthenes In Timocrat. p. 731. fin. sq., quocum conferendus est Idem ibid. p. 738. 21., in primis p. 745 (1): tum Andocides De Myster. p. 45., ubi hujus rei exemplo primum allato, deinceps addit: Ὁ γὰρ νόμος οὕτως εἶχε, κυρίαν εἶναι τήν τε βουλὴν, ὃς ἂν πριάμενος τέλος μὴ καταβάλλῃ, δεῖν εἰς τὸ ξύλον· » Lex enim ita habet, » licere Senatui, (eum), quicumque vectigali emto (merce- » dem) non solverit, alligare ad truncum." Neque ratio hujus latet discriminis; quippe quum alii pecuniae damnati, hanc de suo numerare deberent aerario: de publicanis contra, re quidem vera, populus sua repeteret.

V. Et hinc quoque factum est, ut iisdem publicanorum legibus tenerentur ii, *qui sacras vel publicas pecunias haberent.* De his enim scriptum erat, τοὺς ἔχοντας τά, τε ἱερὰ καὶ τὰ ὅσια χρήματα, καταβάλλειν εἰς τὸ βουλευτήριον. εἰ δὲ μὴ, τὴν βουλὴν αὐτοὺς εἰσπράττειν (2), τοῖς νόμοις χρωμένην τοῖς τελωνικοῖς· » eos qui possident » sacras vel publicas pecunias, conferre (oportere) in » aerarium. Sin vero non (conferant), Senatum (has

(1) Vid. supra Cap. V. p. 33.

(2) Subintelligitur τὰ χρήματα: verbum enim εἰσπράττειν construitur cum accusativo gemino, personae et rei: cf. Reiskius Ind. Demosth. in v.

» pecunias) ab iis exigere, legibus utentem telonicis:" ut refert Demosthenes In Timocrat. p. 730. Pecuniaeque ab hisce hominibus in aerarium collatae προσκαταβλήματα dicebantur: cf. Idem ibid. p. 731: quasi *supplementa*, *accessiones* ad eas pecunias quae ex vectigalibus conficiebantur. Nam intelligendi videntur omnes, qui vel populi jussu pecunias quasdam publicas, praeter vectigalia, recepissent, vel in quorum potestatem, quocumque tandem modo, venissent. — Veluti Demosthenes in Oratione in Timocratem, loco a nobis modo citato, (qua de re jam supra Cap. X. p. 73. verbo monuimus,) is igitur Demosthenes respicere videtur ad Androtionem ejusque collegas, qui legati ad Mausolum Cariae Satrapam profecti, quum eo tempore bellum Atheniensibus esset cum Persarum Rege, populusque naves hostium captas, publicas esse jussisset, ipsi in navem Ægyptiam inciderant, eamque pro praeda Athenas deduxerant. Et Ægyptii quidem hac de re questi sunt ad populum, is nihilo tamen minus navem pro hostili habuit adeoque publicandam judicavit. Ergo Androtion caeterique legati, quum pecunias ex navi captas nondum in aerarium intulissent, adhuc bona possidebant, cum *sancta*, ὅσια, id est publica, tum *sacra* quoque, ἱερὰ; nam decima praedae pars sacra erat Minervae. Cf. et Libanii, item Anonymi, Argumenta huic Orationi praefixa. — Aliud exemplum est apud Demosthenem In Euerg. et Mnesibul. p. 1145., si navalia instrumenta, mutuo sumta de publico, non tempore redderentur.

VI. Hoc loco memoremus item sponsores, quibus ὀφείλοντες, exceptis publicanis, reliqui omnes populo cavebant. Nam utriusque generis, si spectes originem, eadem quidem erat res. Sed de publicanorum sponsoribus singillatim exponendum erat, propterea, quod multo pejori, quam caeteri, conditione utebantur. Hos enim vidimus iisdem,

quibus ipsos vectigalium redemtores, teneri legibus. Et profecto, ita res suadebat; siquidem, ut verisimile est, homines ejusmodi fere publicanorum erant socii. Contra, qui vades facti erant pro illis cujuscumque generis aliis populi debitoribus quos porro Capp. sequentibus spectabimus: ii quidem, nisi legitimo tempore a reis pecuniae essent solutae, ipsi in aerariorum censebantur numero: duplicatoque post nonam Prytaneiam debito, bona eorum omnia publica fiebant, ut inde, quantum posset, aerario satisfieret. Nec tamen statim et ante nonam illam Prytaneiam a Senatu Quingentorum in carcerem tradi potuisse videntur. Idque de iis quum haud dubio constet, quos damnati, quibus pecuniâ lis esset aestimata, praedes dedissent: tum idem affirmandum putem de illis, qui vades facti essent rei in judicio sistendi: (nisi aliquando, ob caussae magnitudinem, de hoc ipso nominatim aliter esset cautum). Quod cum rei ipsius suadet natura, tum nullus Veterum locus huic sententiae repugnat. Sponsioque ejusmodi hanc adeo habebat vim, ut qui eam dedisset, ipse neque a Senatu, necdum caussa apud judices dicta, in carcerem conjici posset. Sic enim erat scriptum in jurejurando Senatorum: *οὐδὲ δήσω Ἀθηναίων οὐδένα, ὃς ἂν ἐγγυητὰς τρεῖς καθιστῇ τὸ αὐτὸ τέλος τελοῦντας·* »neque vinculis dabo »Atheniensium quemquam, qui quidem sponsores tres »dederit eodem censu censos:" Demosthenes In Timocrat. p. 745. 12. Exceptiones nonnullas addit Demosthenes: de quibus singulis vidimus supra, Cap. V. p. 33, Cap. VI. p. 45. fin. sq., tum modo hoc ipso Capite, N°. IV. in fine.

Quod ad hos populi debitorum praedes attinet: Andocides quidem, De Myst. p. 35. 13., universe inter *ἀτίμους* recenset quicumque *ἐγγύας ἐγγυήσαντο πρὸς τὸ δημόσιον*, *sponsiones spoponderint rei publicae*. Disertius etiam in

ipso, quod porro refert, populiscito, *omnis generis* significantur sponsores: nam sic ibi simpliciter scriptum est: *ἢ ἐγγύαι τινές εἰσι κατεγγυωσμέναι.* Cf. Cap. II. p. 12. Et de hisce qualiumcumque *ὀφειλόντων* praedibus, utpote in Athenarum civitate frequentissimis, locus est ille Demosthenis, initio hujus Capitis citatus, In Aristogit. I. p. 796. sqq. Omnino, sexcentis locis apud Scriptores mentio horum hominum exstat.

CAPUT XXXVII.

Altera classis ὀφειλόντων mulctae damnati. I. Εὐθῦναι, *rationes populo reddendae:* ὑπεύθυνοι, *rationibus reddendis obstricti.* Λογισταί. Εὐθῦναι *magistratus*, Εὔθυνοι, Εὐθυνταί. Εὐθύνειν, ἐξευθύνειν, κατευθύνειν. Λογιστήρια.

Jam de altera videamus aerariorum classe: de iis, inquam, qui mulctae publico solvendae essent damnati. Ex hisce primo recensebimus loco *magistratus quorum rationes essent improbatae.* Etenim, quod de populari civitatis statu supra memorabam, hoc in eo quoque perspicitur, Athenis omnia fere munera in breve admodum tempus collata fuisse, tum neminem, qui quidquam publicae rei attigisset, a rationibus fuisse referendis immunem. Sic ὑπεύθυνοι, εὐθύναις, *rationibus* populo reddendis, *obstricti*, erant *novem Archontes:* Demosthenes In Timocrat. p. 747. init.: idque ex Solonis demum legibus ita obtinuisse, erudite, ut solet, disputat Perizonius ad Ælianum Var. Hist. V. 13. Ibidemque a Demosthene, τοῦ Ἱερομνήμονος (1), *Hieromnemonis, et om-*

(1) Hoc munus quale fuerit Athenis, haud satis constabat: cf. Reiskius Ind. Demosth. in v. Nunc certum videtur, nomen id legatis fuisse cujusdam generis, ad concionem Amphictyonicam ex singulis Graeciae civitatibus, adeoque et Athenarum, missis. Cf. Letronne Eclaircissemens sur les fonctions des magistrats appeles Mnémons, Hieromnémons, Promnémons, et sur la compo-

nium munerum quae cum Novem Archontibus eodem die sorte designantur, καὶ ὅσαι μετὰ τῶν ἐννέα ἀρχόντων κυαμεύονται ταύτῃ τῇ ἡμέρᾳ· et vero πρεσβείας, *Legationis*, εὔθυναι memorantur ab eodem de Fals. Leg. p. 366. sq.: Εὔθυναί τῶν ἕνδεκα, *Undecimvirorum*, a Lysia In Theomn. p. 359. Πάρεδροι, *Assessores* cujusque muneris, quoque εὐθύνας dabant: ut supra, Cap. II. p. 11. not. 3. vidimus. Porro *Praecones*, κήρυκες· Demosthenes In Timocrat. ibid. Et insignis hac ipsa de re locus est Æschinis In Ctesiph. p. 394—415.: unde patet, *Sacerdotes* quoque, ibid. p. 405., item *Areopagum*, p. 408., tum *Senatum Quingentorum*, p. 412., verbo, omnes qui aliquod modo *munus*, ἀρχὴν, gessissent, quando id deponerent, rationes ejus scripto tradere debuisse. Similiter Andocides, loco illo, De Myster. p. 35., universe memorat ὁπόσοι εὐθύνας ὦφλον, ἄρξαντες ἀρχὰς, »quicumque, mu» nere functi, in judicio rationum reddendarum sint » damnati." Quae rationes quamdiu non essent redditae, adeoque is, qui functus esset munere, ὑπεύθυνος remaneret, tamdiu alio ipsum munere fungi legibus erat vetitum: Demosthenes l. c. In Timocrat. p. 747. pr. Quin ex modo allato Æschinis loco apparet, viros ejusmodi nec prius quam sese stitissent solenni huic examini, vel peregre proficisci, vel bona deo alicui consecrare, vel sacrarium ponere, vel adoptari, vel testamentum facere, cuiquam eorum licuisse: ibid. p. 413. sq.: tum vero nominatim lege cautum fuisse, ne quis, munus seu curationem publicam gerens, coronâ donaretur, antequam rationes retulisset. Et eo quoque nomine Ctesiphontem accusavit Æschines: de quo judicio uno omnium celeberrimo supra Cap. XXV. quaedam diximus: sed hoc igitur no-

sition de l'assemblée Amphictyonique (Mém. de l'Instit., Acad. d. Inscr. Tom. VI. p. 221—261, 1822): Hermann Lehrbuch § 14. N°. 6 et 7.

mine accusavit, quod contra leges scripsisset, ut Demosthenes, qui curator muris reficiendis eo erat tempore, coronâ donaretur, rationibus nondum relatis. Adversus quem Demosthenes ita disputat, ut eum malâ fide legem interpretari dicat; quippe quae vetaret quidem, ne quis ob magistratum munusve bene gestum coronâ donaretur prius quam muneris illius reddidisset rationes: nec vero impedimento esset, quo minus quis in magistratu quoque a populo coronaretur propter dona beneficiaque aliunde profecta, quippe quarum rerum nemo umquam rationes debuisset, contra non nisi gratias ac laudem quisque ab omnibus reportasset. Sibi ergo, quum civitatis muros ex sua refecisset pecunia, hujus pecuniae nullam cuiquam rationem reddendam fuisse. Quo pertinet cum tota Demosthenis Oratio De Corona, tum in primis locus illustris, qui est p. 263. fin., ubi de se ipse ita pronunciat: *Ἅπαντα τὸν βίον ὑπεύθυνος εἶναι ὁμολογῶ, ὧν ἢ διακεχείρικα, ἢ πεπολίτευμαι παρ᾽ ὑμῖν. ὧν μέντοι γε ἐκ τῆς ἰδίας οὐσίας ἐπαγγειλάμενος δέδωκα τῷ δήμῳ, οὐδεμίαν ἡμέραν ὑπεύθυνος εἶναί φημι.* »Omnem vi»tam rationibus reddendis obnoxium me esse confiteor, »eorum quae aut administravi, aut in republica gessi »apud vos. Eorum vero, quae ex re privatâ pollicitus »dedi populo, nullum diem rationibus dandis obnoxium »me esse affirmo." Deinde plura commemorat exempla Demosthenes, duces magistratusque Athenis, dum munere adhuc fungerentur, coronatos esse, quod donis populum ornassent: ibid. p. 264. sqq. — Legum interpretatio in utramque partem sane quam acuta: quum in eo potissimum quaestio versetur, ac is etiam, qui pecunia, quam ipse contulisset, in munere publico gerendo esset usus, hujus benivolentiae caussa donari a populo coronâ non posset prius quam rationes ejus muneris retulisset.

Ὑπεύθυνοι quoque erant *testes* qui in *judicio* testati

essent: Demosthenes De Fals. Leg. p. 396. 16: Adv. Spudiam p. 1032. 17: In Stephan. I. p. 1105. 16: p. 1114. 21: Æschines De Fals. Leg. p. 333. sq. Sed hoc aliter quodammodo, quam de quibus vidimus, est intelligendum. Neque enim *in judicio testari*, id erat ἀρχὴ, *munus* quoddam. Testes autem hac ratione erant ὑπεύθυνοι, rationibus reddendis obstricti, ut qui eorum judicarentur falso esse testati, poena iis esset ψευδομαρτυριῶν. Vidimus hoc ipsum Cap. XIX. p. 120. sqq.

Verum jam in viam revertamur. Ut ergo omnibus omnino qui functi essent aliquo munere, necesse erat, hoc munere deposito, ejus reddere rationes: ita soli ex eorum numero *Heliastae* erant ἀνεπεύθυνοι, *a rationibus reddendis immunes:* quod cum per se necessario sequitur ex ipsa popularis status natura, qualis Athenis obtinebat, quoque, si proprie loquamur, neque Heliastarum erat *munus*, ἀρχὴ, *quippe qui universi populi personam sustinerent:* (ut recte observat Reiskius Ind. Demosth. v. ἡλιαία· quocum omnino conferatur locus notabilis Demosthenis In Timocrat. p. 745. sqq.): tum eadem res diserto confirmatur testimonio Aristophanis Vesp. v. 585 et 607. Addi potest Sluiterus Lect. Andoc. c. 12. p. 246. sqq.

Aliis autem judiciis ut alii magistratus, sic rationibus repetendis praeerant Λογισταί. Nam rationes in judicio reddendas fuisse, id est apud tribunal, ἐν δικαστηρίῳ, satis constat: exempli gratia, ex Æschine In Ctesiph. p. 395.: Demosthene Philipp. I. p. 53. 22.: De Fals. Leg. p. 382. init.: p. 406. fin. Igitur si quis magistratum munusve gessisset, omnino, si quid publicae rei attigisset, λόγον ἐγγράφειν, *rationes scripto tradere*, debebat, *Scribae publico et Logistis*, πρὸς τὸν γραμματέα καὶ τοὺς λογιστάς· ut ait Æschines In Ctesiph. p. 403. Alibi mentio tantum exstat Logistarum: veluti in hac ipsa Æschinis Oratione p. 408 et 414: porro apud Demosthe-

nem De Fals. Leg. p. 406. fin.; ut hujus Collegii Scribam significasse videatur Æschines, non Scribam Senatus, qui subinde hoc nomine Γραμματεὺς simpliciter vocatur. Tum Logistae, tamquam qui judiciis hisce praeerant, omnes quos rationes referre necesse esset, quibus quidem hac de re quaestio moveretur, eos ad tribunalia deferebant et citabant, εἰσῆγον, ἐκάλουν εἰς τὸ δικαςήριον· Demosthenes De Corona p. 266. 8: De Fals. Leg. l. c. Hic igitur oportebat *examen*, *rationes*, *sustinere*, *dare*: λόγον διδόναι, λόγον ὑπέχειν, εὐθύνας διδόναι, εὐθύνας ὑπέχειν· cf. Sluiterus l. c.: Reiskius Ind. Demosth. in v. v. Rationes istas si probarent judices, dicebantur τὰς εὐθύνας ἐπισημαίνεσθαι, veluti apud Demosthenem De Coron. p. 310. 21: quae vox ἐπισημαίνεσθαι, item activum ἐπισημαίνειν, subinde usurpantur de probando et laudando: Æschines De Fals. Leg. p. 230: Xenophon Hist. Gr. IV. 7. 2: de eaque significatione porro conferri potest Fischerus in Indice ad Theophrasti Charact. in v. Judices si improbassent, dicebantur rei τὰς εὐθύνας ὄφλειν· Æschines In Ctesiph. p. 395: Andocides De Myster. p. 35: ipsae εὖθυναι, καταγινώσκεσθαι· Andocides ibid. p. 37. Quo posteriori loco Andocidis memorantur et οἱ Εὖθυναι, *magistratus rationibus repetendis praefecti: exactores rationum reddendarum.* Hos Εὐθύνας diversos fuisse a Λογιςαῖς, in opere de Republica Atheniensium ostendit Aristoteles: narrante quidem Harpocratione v. λογιςαί· qui utrosque magistratus decem fuisse numero refert: caeterum Εὐθύνας in v. definit, παρ' οἷς ἐδίδοσαν οἱ πρεσβεύσαντες, ἢ ἄρξαντες, ἢ διοικήσαντές τι τῶν δημοσίων, τὰς εὐθύνας· » apud quos rationes dant, legatione, seu munere functi, » seu qui quid publicae rei attigerunt:" eumdem Aristotelem citans auctorem: de Logistis ait, hujusmodi fuisse, οἳ τὰς εὐθύνας τῶν διῳκημένων ἐκλογίζονται ἐν ἡμέραις τριάκοντα, ὅταν τὰς ἀρχὰς ἀποθῶνται οἱ ἄρχοντες· » qui

» rationes rerum gestarum examinant intra dies triginta, » postquam munera deposuerint magistratus." Ex quo utroque Harpocrationis loco ab ipsoque allata Aristotelis auctoritate satis, opinor, perspicuum videtur, Εὐθύνας utique appellatos fuisse ipsos hos magistratus, neque apud Andocidem d. l., cum Reiskio in Not. et in Ind., εὐθυνῶν mutandum esse in εὐθυντῶν. Licet eosdem magistratus frequentius vel εὐθύνους vel εὐθυντὰς vocabant Attici: exempla referente Ruhnkenio Ad Timaeum v. Εὐθῦναι. Ipsi proprie dicebantur εὐθύνειν, ἐξευθύνειν, κατευθύνειν, *ad disquisitionem populi vocare:* ut ibidem notat Ruhnkenius: cujus tota ea animadversio doctissima est ipsique huic loco plurimum lucis adfert.

Addit Harpocration v. λογισταί· Λογιστήρια δ᾽ ἐστὶ τὰ τῶν λογιστῶν ἀρχεῖα· Λογιστήρια » sunt tribunalia" λογιστῶν· testes citans Dinarchum In Timocratem, et Andocidem De Mysteriis: quarum Orationum illa periit, haec superest, et vero locus ille quem Harpocration significat, a nobis modo citatus, item supra Cap. II. p. 11. plenius allatus, exstat p. 37. 4. R. Quamquam ibidem nulli magistratus Logistae, nec nisi Euthynae eorumque assessores, nominantur. Λογιστήρια eodem, quo Andocides, sensu memorat et Lysias Orat. XX. p. 672. fin.

CAPUT XXXVIII.

II. Ἐξούλη, *actio rei judicatae. Natura hujus judicii. Poena.*

Jam sicut de rationibus in Athenarum civitate referendis modo exponebamus, ita nunc jam a me rationem reddendam esse video, cur judicium illud, quod ἐξούλης nomine significat Andocides De Myster. p. 35.: (verba initio hujus disputationis, Cap. II. p. 7., apposita sunt): quoque damnatos urgeri dicit infamia, cur illud, inquam, *actionem ex re judicata* reddiderim supra.

Profecto, si nomen spectes, dari videatur haec actio omnibus qui ex re suâ ab aliis expellantur vel in ejus possessione turbentur. De qua origine conferri possunt Scholiastes Demosthenis in Argumento Orationis I in Onetorem: Kühnius ad Pollucem VIII. 59: Hemsterhusius ibid. et apud Ruhnkenium ad Timaeum p. 71: Wesselingius in Not. ad Petitum p. 509. Et ita quoque exponit Harpocration; quamquam, ut ipse ait, Caecilius affirmaret, eam actionem tantum adversus illos institui qui judicatum non fecissent: quem ideo reprehendit, et ex Phrynicho refutari pronunciat: hujus tamen locum non addens; qui quum neque aliunde nobis sit cognitus, de eo argumento non satis hodieque potest judicari. Demosthenis vero loca videamus: quamquam paucissima sunt: ubi meminit hujus actionis; nam apud reliquos

Oratores nihil equidem inveni. Igitur sic ille In Mid. p. 528. 12.: Ἄν τις ὄφλων δίκην μὴ ἐκτίσῃ, οὐκέτ' (1) ἐποίησεν ὁ νόμος τὴν ἐξούλης ἰδίαν, ἀλλὰ προςτιμᾶν ἐπέταξε τῷ δημοσίῳ· »Si quis actione privata condemnatus non »solverit, lex dedit actionem rei judicatae non amplius »privatam, sed insuper mulctam pendere jussit publico." Idem Adv. Callipp. p. 1240. 22. ἐξούλης δίκην memorat, institutam propterea quod reus, a judice damnatus rem actori restituere, eam huic negasset ipseque detinuisset: et In Mid. p. 540—543, quod mulctam actori pendere jussus, non intra legitimum tempus solvisset: et quidem utroque loco judex, qui sententiam adversus reum pronunciasse memoratur, judex erat minor, διαιτητής. Porro duae exstant Demosthenis Orationes in Onetorem, quibus ipsis ἐξούλης nomine huic litem dixit. Caussa erat hujusmodi. Demosthenes puer, patre amisso, cum sorore in tutelam venerat propinquorum: a quibus magnopere spoliatus, jam postquam vir factus esset, unum eorum Aphobum in tutelae judicium vocavit, et ita damnavit, ut sibi bona ejus adjudicarentur, unde, quantum fieri posset, repeteret quod sibi ex rationibus deberetur. In iis bonis praedium quoddam erat, cui Onetor, ante judicium illud actum, certe ante sententiam dictam, columellas, ὅρους, apposuerat, tabulis, ut mos erat, affixis, quibus praedium illud sibi pignori obligatum esse significaretur (2).

(1) *Οὐκέτ' ἰδίαν, non amplius privatam*, hanc ἐξούλης actionem non vocat Demosthenes quasi et alius fuerint generis actiones ἐξούλης quibus eam eo nomine opponeret, sed sic opponit illi cuicumque actioni privatae, τῇ δίκῃ, quod huic nunc addebatur, mulcta rei pendenda publicae, ergo non amplius ad solum privatum tendebat finem. Itaque semper locum acceperam, et in versione expresseram: et nunc vidi sic diserte explicari a Boeckhio Staatsh. T. I. p. 405. not. 281.

(2) De hisce columellis cf. Wesselingius ad Petitum p. 506. not. 1. et ab eo citati. Eodem, quo a Demosthene, sensu, itaque

Etenim hujus Onetoris soror Aphobo antea nupserat: cui eam Onetor ajebat dotem attulisse, postea cum eodem divortium fecisse, neque ab illo dotem ipsam ei restitutam, sed pro eadem praedium illud ei obligatum esse. (Et vero, cui res aliqua pignori obligata erat, huic eam eripi, vel omnino litem ipsi moveri, leges non sinebant: conferatur Demosthenes Adv. Spudiam p. 1030). Contra, hoc agit Demosthenes, ut demonstret, Aphobum nullam ab uxore dotem accepisse, hinc et nihil eum hoc nomine debere: ergo praedium, quum ipsius Aphobi esset, nunc ex judicato ad se pertinere. Itaque ἐξούλης actionem adversus Onetorem instituit Demosthenes, quod se judicato frui non sineret: huic actioni exceptionem pignoris opposuit reus: quam falsam esse rursus contendit Demosthenes.

Et haec quidem sunt, quae apud veteres Atticos de hoc judicio invenerim. Nam quod Demosthenes ait, Adv. Pantaenet. p. 976. 29, ἐάν τις ἐξείλῃ τινὰ τῆς ἐργασίας· quem locum respexit Suidas v. ἐξούλης· hic δίκην ἐξούλης non memorat Demosthenes, sed δίκας μεταλλικὰς, *actiones* quasi *metallicas*, ad opificium metallicum pertinentes, paullo ante nominatim αἰκίας, ὕβρεως, βιαίων· vertendumque simpliciter: » si quis quem vi ex» pellat ex opere (metallico)."

Jam ea omnia quae ante adduximus, ad actionem ejusmodi pertinere quae detur de re judicata: illud mihi quidem valde perspicuum videtur. Et vero hanc esse propriam hujus actionis naturam, confirmatur auctoritate cum Etymologi Magni v. ἐξούλης, tum in primi.

proprie, ὅροι dicuntur et ab Isaeo Or. V. p. 141. pen. Vox ea metaphorice usurpatur, cum alibi, tum apud Lesbonactem Protreptic. p. 174, Tom. 8. p. 29. Oratt. Gr., ubi cf. et Reiskius in Not. Caeterum et ὅροι aliquando dicuntur quae plerumque στῆλαι: cf. supra C. V. p. 41.

Ulpiani, qui in Scholiis ad verba illa ex Demosthene allata, item alibi ad eamdem Orationem Midianam, diserte pronunciat, ἐξούλης judicium esse adversus eum, qui, privata lite amissa, judicatum non fecerit (1); unde eum, si caussâ cadat, non tantum rei judicatae obtemperare, et actori, quod prius jussus fuerit, solvere debere, sed praeterea, ob contemtum legum et judiciorum, pecuniâ mulctari publico solvendâ. Videatur Ulpianus in Demosth. Mid. p. 651. A. B. 661. B. ed. Francof. etiam citatus a Petito p. 508. sq. Quod autem ibidem ait Ulpianus, ἐξούλης actionem datam de re quae judicata esset per *judicem minorem*, διαιτητὴν· hoc plerumque ita in privatis obtinebat caussis: nec tamen perpetuo: veluti actio tutelae in tribunali, ἐν δικαστηρίῳ, instituebatur: (quales habemus, v. c., Demosthenis in Aphobum:) neque certe minor, imo major aliquanto, ratio erat ἐξούλης, quo ampliori dignitatis gradu tribunalia quam arbitri essent. Caeterum ἐξούλης γραφὴν d. l. minus recte vocat Ulpianus, verbis Demosthenis, ut videtur, male intellectis. Sed γραφὴ quaenam sit, postea videbimus. Ab Ulpiano quidem et Etymologo Magno l. l. c. c. non magnopere dissentit Pollux VIII. s. 59. Ἐξούλης δίκη γίγνεται, ὅταν τις τὸν ἐκ δημοσίου πριάμενον μὴ ἐᾷ καρποῦσθαι ἃ ἐπρίατο, ἢ τὸν νικήσαντα, ἃ ἐνίκησεν, ἀλλ' ἢ ἔχοντα ἐκβάλλῃ, ἢ σχεῖν κωλύσῃ, ἢ αὐτὸς ὁ ὄφλων, ἢ ἄλλος ὑπὲρ αὐτοῦ. καὶ μὴν, εἰ ὁ μὲν ὡς ἐωνημένος ἀμφισβητεῖ κτήματος, ὁ δὲ ὡς ὑποθήκην ἔχων, ἐξούλης ἡ δίκη. »Ἐξούλης actio locum habet, si quis eum, qui »ex publico emit, non sinit frui iis quae emit, vel eum »qui judicio vicit, iis quae obtinuit, verum aut detinen-

(1) *Privata lite amissa.* Quodsi quis enim non solvisset mulctam publico sibi judicio impositam, non opus erat eum aggredi hac ἐξούλης actione: per se is erat ὀφείλων. Cf. infra Cap. XL.

»tem expellit, aut detinere impedit, sive ipse debitor »(hoc faciat), sive pro eo alius. Et vero, si hic qui»dem rem sibi arrogat tamquam qui emit, ille vero »tamquam hypothecam habens, actio est *ἐξούλης*." Ultimis verbis, nisi vehementer fallor, respexit ibi Pollux ad Demosthenis Orationes in Onetorem; ut mihi admodum verisimile videatur, item hinc esse repetenda quae de publicorum redemtore memoravit: in eo nimirum errans, quod Aphobi bona minime tamquam de publico emta: (nam caeterum subinde bona damnatorum publice vendebantur:) verum, hoc Aphobo tutelae damnato, ex sententiâ judicis, ad Demosthenem pertinebant. Et simili quoque ratione expediri putem locum Harpocrationis v. *οὐσίας δίκη*, qui, si *actionem de vi* intelligamus *ἐξούλην*, mihi quidem inexplicabilis est. Ordinem denique si spectemus, quo Pollux VIII. s. 64. inter caetera judicialia verba quoque *ἐξούλην* recenset, haud scio an eidem rationi non parum inde accedat momenti. Et vero duo loca Aristidis: Panathen. Tom. I. p. 103: Orat. Platon. I. Tom. II. p. 99: ubi hoc *ἐξούλης* judicium memoratur, vulgoque vertitur *Unde vi:* non minus idonee, imo melius etiam, ex nostra sententia reddi possunt ita ut intelligatur actio *rei judicatae* (1).

(1) Verba Aristidis haec sunt: T. I. p. 103. *Οὔτε γὰρ ξένοι, διὰ τοὺς ἄλλους πολίτας γνησίους ὄντας, ἐνέχονται τῷ προσρήματι. οὔτε πολῖται βεβαιοῦσι τὴν ἐπωνυμίαν, τῷ καθαροὶ ξένων εἶναι τὸ ἐξ ἀρχῆς. οὔκουν ἐξούλης γε μόνοις ὑμῖν, εἰ οἷόν τε ἐστιν εἰπεῖν, οὐδ' ἂν εἷς λάχοι τῆς γῆς, οὐ μᾶλλόν γε ἢ τῆς μητρὸς τινί.* T. II. p. 99. *Εἰ δὲ δεῖ καὶ μῦθον λέγειν, δέδοικα μὲν ἐγὼ μὴ καὶ ταῖς γραυσὶν ἡμᾶς ἐξούλης ὄφλειν ἐπισκώπτων φῇ τις ἀνὴρ κωμικός.* »Nam et hospites, propter alios cives germa»nos, hanc appellationem retinent: et cives confirmant cognomen, »quod ab initio puri fuerint ab hospitibus. Igitur rei judicatae

Haec itaque omnia quae disputavimus, non eo valent, ut virorum doctissimorum, Heraldi Observat. ad Jus Att. et R. VII. 26. p. 681. sqq., Petiti Legg. Att. V. 4. Comm. p. 508. sq., ἐξούλην universe *actionem de vi pro possessore rei immobilis* interpretantium, prorsus repudiemus sententiam, aut qua de re ipsi veteres Grammatici dubitarunt, nos affirmanter de eadem statuamus. Verum hoc duntaxat voluimus, in iis partibus quae hodieque Oratorum supersunt, (neque plura aut ipsi invenimus loca, aut a quoquam allata novimus,) actionem memorari ejusmodi, quae detur ei secundum quem judicatum sit, quando judicato non obtemperetur, ipsique, quod ex judicis sententiâ obtinuerit, vel legitime petenti negetur ac detineatur, vel eripiatur, sive ab ipso reo hoc fiat, sive ab alio.

Et huc reapse sententia redit Boeckhii Staatsh. Tom. I. p. 405 sq. not. 282., quamvis ibid. not. 281. propriam primariamque vocis significationem, *unde vi*, de qua et ante monuimus, urgentis. Fuse porro de hac ἐξούλης actione tradiderunt Hudtwalcker De Diaetet. p. 134. sqq. Heffter Athen. Gerichtsv. p. 456. sqq. Cf. et Hermann Lehrb. § 143. n. 15.

Pecunia, ab ἐξούλης damnato in aerarium solvenda, tanta fuit, quantam is ex judicato solvere jam debuisset adversario: Suidas v. ἐξούλης δίκη· quantâve aestimaretur haec res judicata: Harpocration h. v.: Ulpianus in Demosth. Mid. l. supra cit. Caeterum ἐξούλης fuisse δίκην ἰδίαν, *actionem privatam, soli laeso concessam*, ex iis quae diximus, satis illud manifestum est. Idem Capite

»quidem solis vobis, si licet ita loqui, nemo profecto actionem »intendat de terra, non magis sane quam de matre cuiquam." T. II. p. 99: »Sin vero oportet et fabulam dicere, timeo equi»dem ne et aniculis vos rei judicatae damnatos esse cavillans di»cat aliquis vir comicus."

sequenti videbimus de actione βιαίων. Ob eamque ipsam rem singillatim erant memorandae; quod quamquam privatae essent et ad privatum intenderentur finem, poenae loco tamen insuper damnatis diceretur mulcta pecuniaria, publico ab iis solvenda aerario.

CAPUT XXXIX.

III. Βιαίων δίκη· *Actio de vi. Poena:* Βιάζεσθαι. — Δίκη ἐξαιρέσεως.

In eo quidem magnopere ab Heraldo, ibid. n°. 4, dissentimus, quod Demosthenis verba ex Oratione Midianâ, proxime subjecta iis quae modo ad locum de actione ἐξούλης apposuimus, item ad hanc retulerit; quum contra Scholiastes, item Petitus VII. 4. Comm. p. 633, eadem de alia intellexerint actione, βιαίων, quam Heraldus ne quidem commemorat, licet aliis Veterum locis diserte de ea prodatur (1). Verba Demosthenis haec sunt, p. 528. 14: Καὶ πάλιν, τί δήποτε, ἂν μὲν ἑκὼν παρ' ἑκόντος τις λάβῃ τάλαντον ἕν, ἢ δύο, ἢ καὶ δέκα, καὶ ταῦτ' ἀποστερήσῃ, οὐδὲν αὐτῷ πρὸς τὴν πόλιν ἐστίν. ἂν δὲ μικροῦ πάνυ τιμήματος ἄξιόν τις λάβῃ, βίᾳ δὲ τοῦτο ἀφέληται, τὸ ἴσον τῷ δημοσίῳ προστιμᾶν οἱ νόμοι κελεύουσιν, ὅσον περ ἂν τῷ ἰδιώτῃ. »Et rursus, quid nimirum, si »quidem lubens a lubente quis accipiat talentum unum, »vel duo, vel decem etiam, et haec subripiat, nihil ipsi »cum civitate est. Sin vero parva omnino aestimatione »dignum quis accipiat, vi autem hoc auferat, tantum

(1) Eumdem, quem Heraldus, errorem erravit Hudtwalckerus De Diaet. p. 135. not., merito reprehensus a Boeckhio Staatsh. Tom. I. p. 404. sqq. n°. 281. sq.

»insuper publico pendere (eum) leges jubent, quantum »quidem privato." Et ex hoc loco Harpocration in v., βιαίων δίκης meminit. Verum et alibi apud Demosthenem mentio exstat hujus judicii, et quidem in Oratione Adversus Pantaenetum p. 976.: (locum et proximo Capite citavimus): ubi dicitur ejus cognitio pertinere πρὸς τοὺς τετταράκοντα, ad Quadragintaviros. Tum Henricus Valesius, vir summus, in Notis ad Harpocrationem d. l. unum Lysiae, item duo Platonis loca excitat, minime a nobis praetermittenda. Nam Plato quidem, Legg. XI. p. 914. E., legem ponit ejusmodi: Si quis aliquem, tamquam servum ductum ab altero, in libertatem vindicaverit, ille dimittito quidem: tres vero illi dantor fidejussores idonei: sin aliter quis abduxerit, τῶν βιαίων ἔνοχος ἔςω, damnatusque duplum reddito ei cui abstulit. Cui Platonis loco plane appositus est ille Lysiae, Orat. XXIII. p. 736., ubi contendit familiares Pancleonis cujusdam esse ἐνόχους τοῖς βιαίοις, quod Pancleonem, a Nicomede pro servo ductum, primo quidem sese, fidejussoribus datis, in libertatem vindicaturos affirmassent, postea vero, non exhibitis fidejussoribus, vi eripuissent Nicomedi. Altero Platonis loco, qui est initio Libri X de Legibus, universe disserit de ferendis legibus βιαίων, ut caveatur, neminem ab altero rem auferre eâve uti, nisi id ipsi persuaserit; itaque ex his quoque Platonis verbis illud confirmatur, βιαίων legem significari apud Demosthenem in Oratione in Midiam. Quod vero Petitus, cum ex ipso Demosthene, tum ex Ulpiani Scholiis, sibi confecisse visus est, poenam hujus actionis fuisse ejusmodi, ut damnatus duplum redderet ei cui abstulisset, tum vero tantumdem publico solveret, itaque actio omnino in quadruplum esset, in eo quidem virum diligentissimum errasse putaverim. Ni fallor enim, hoc simpliciter ait Demosthenes, item Scholiastes, rem ipsam

vi ablatam privato reddendam esse, tum poenae vice tantumdem insuper aerario pendendum; ut adeo, quod Plato ei ipsi qui laesus esset, idem Atheniensium leges reipublicae tribuerint (1). — Caeterum an Quadraginta illi, apud quos agi hanc caussam prodit Demosthenes, cum Petito iidem sint intelligendi qui a Polluce VIII. s. 100. nominantur, ex ipsis Pollucis verbis vehementer dubitari possit.

Et universe quidem satis notum est, *βιάζεσθαι* esse *vi agere, vim inferre.* Hinc magis proprie usurpatur *βιάζεσθαι τοὺς νόμους*, *vim legibus inferre, leges violare:* de eaque dictione exstat exquisita animadversio Toupii ad Longinum De Sublimit. Sect. 27. p. 200. sq., qui ibidem locum excitavit Demosthenis ex Oratione In Aristogitonem I^{a}.: cui addi possunt alii ejusdem loci, In Theocrin. p. 1326. 20., ubi simpliciter scriptum est *τοὺς νόμους βιαζόμενος*, item In Mid. p. 532. fin. sq., ubi ait, nil juvare leges bene scriptas, nisi insuper poena definiatur secus facientibus *καὶ βιαζομένοις αὐτοὺς (τοὺς νόμους)*. Elegans quoque est, nec Toupio d. l. notatum, dictum Dionysii Senioris apud Plutarchum in Apophthegmat., Tom. II. p. 175. E.: *Ἔφη τοὺς μὲν τῆς πόλεως βιάσασθαι νόμους δύνασθαι, τοὺς δὲ τῆς φύσεως μὴ δύνασθαι.* » Dixit, civi» tatis quidem leges violari posse, naturae leges non posse." Quod Demostheni In Aristogit. I. p. 779., loco quem supra Cap. II. fin. p. 15. integrum apposuimus, simpliciter item memorentur *οἱ βιαζόμενοι*, nec quidquam addatur; illud de omnibus qui vi agant intelligendum, ex eo jam probabilius sit, quod apud eumdem Demosthenem, In Mid. p. 518. 10., ipso hoc nomine *οἱ βιαζόμενοι* appellentur omnes *vi agentes, laesores*, nec magis de-

(1) Mecum haud dubitanter faciunt Hudtwalckerus, Boeckhius, Heffterus, l. l. citt.

finitum quid significetur: tum Adv. Leochar. p. 1091. 18. eadem ratione *βιάζεσθαι* universe dicatur *vi agere*. Itaque ibi in versione expressimus: accuratius caeterum infra, Cap. XLIII., locum illum spectaturi. Isaeus etiam, Orat. II. p. 53, simili sensu verba haec usurpavit: imo locus is pertinet ad illam delationem, *εἰσαγγελίαν πρὸς τὸν ἄρχοντα*, quam quidem Cap. XXI. p. 142. sq. vidimus institui potuisse adversus eum qui puellam *ἐπίκληρον* male habuisset; ut de ea quoque duntaxat delatione intelligi oporteat quod ibidem porro ait Isaeus: *οὐκ ἂν ἰδίας μόνον δίκας ἔφευγεν ὁ βιαζόμενος, ἀλλὰ καὶ δημοσίᾳ εἰσαγγελθεὶς πρὸς* (1) *τὸν ἄρχοντα, ἐκινδύνευεν ἂν περὶ τοῦ σώματος καὶ τῆς οὐσίας ἁπάσης τῆς ἑαυτοῦ.* » Non utique privatorum tantummodo judiciorum reus fit is » qui vi agit, sed et publice delatus ad Archontem, pe» riclitatur de persona et de omni re familiari." Verissimum illud de eo qui puellam *ἐπίκληρον* laesisset: (supra, l. c., hoc ipsum vidimus:) minime de eo qui alium quemcumque vi affecisset, itaque in legem commisisset *βιαίων*. Hac enim lege solummodo jussus erat, tantumdem, quantum privato abstulisset, damnatusque ipsi reddere deberet, insuper poenae loco civitati pendere. Quod si non solvisset hanc mulctam, tum demum, ut *ἐξούλης* damnatus et alii ejus generis omnes qui non solvissent, ipse quoque in munerum referebatur *τῶν ὀφειλόντων τῷ δημοσίῳ* (2).

Affinis huic *βιαίων* actioni admodum; imo a Platone l. l. citt. reapse eo nomine comprehensa, at vero Athenis proprio *ἐξαιρέσεως* insignita nomine fuit actio in

(1) Sic enim legendum est, *πρὸς*, vel *ὡς*, cum Reiskio. Vulgo male legitur *εἰς*.

(2) Aliter quodammodo de hac *βιαίων* actione Meier und Schömann, der Attische Process., p. 544. sqq. Neque tamen, libro eo eruditissimo lecto, nostrae nos poenitet sententiae.

eum qui servum alienum domino abstulisset et tamquam liberum hominem produxisset. Exemplum actionis hujusmodi est apud Demosthenem In Theocrin. p. 1327. sqq. Eadem, quae vel ἐξούλης, vel βιαίων, poena erat statuta: ut vere Demosthenem explicat Boeckhius Staatshaush. I. p. 406. not. 283. Igitur et nobis memoranda erat haec actio.

Ne quis vero miretur, Andocidis loco illo primario De Myst. p. 35., ubi ὀφείλοντες τῷ δημοσίῳ recensentur, neque hujus ἐξαιρέσεως, neque βιαίων, nominari damnatos: illud simpliciter tenendum, non omnes omnis generis ἀτίμους accurate Andocidem nominasse. Idque ipse ibidem significavit. cf. Cap. II. p. 7. fin. et not. 3: Cap. XXII. p. 159. in not.

CAPUT XL.

IV. Γραφὴ, *accusatio publica ordinaria.*
Γραφὴ παρανόμων.

Γραφὴν, proprie *inscriptionem*, *libellum*, Athenis universe dictam fuisse *accusationem publicam*, eamque δίκῃ, *actioni privatae*, oppositam, res est notior, quam ut eam exemplis hoc loco confirmari putemus opus esse. Ex eoque discrimine pendet interpretatio Dialogi illius Platonici Euthyphronis in initio, ubi Euthyphron, quippe qui plerumque in coloniis degisset adeoque ab usu fori alienior esset, duo ea vocabula, δίκην et γραφὴν, confundit, ob eamque rem a Socrate festive reprehenditur. Ergo passim apud scriptores Atticos γραφαὶ memorantur ἀσεβείας, παρανόμων, τραύματος, ὕβρεως, ἑταιρήσεως, ψευδοκλητείας, δώρων, ξενίας, omnium omnino delictorum. Plures recenset Pollux VIII. 6. s. 40: eamque seriem locupletat Wachsmuthius Hellen. Altherth. II. 1. p. 299. sqq. (1).

(1) Quod ait Wachsmuthius p. 299. fin., ubi definit γραφὰς περὶ τῶν εὐθυνῶν, nescio an ita omnino recte se habeat. Altero quas recenset loco γραφὰς, haud dubio obtinuerunt illae: i. e. tempore quo quis erat ὑπεύθυνος, cujuscumque generis γραφῇ, pro varia rei natura, accusari eo nomine poterat. Ipsum examen si accusationi damnationique locum daret, non credo peculiarem hic adfuisse γραφήν. Et manifesto Andocides p. 35. utrumque singillatim memorat genus, εὐθύνας — γραφάς.

Et Demosthenes ait In Stephan. II. p. 1136. fin.: Οἱ δὲ νόμοι καὶ περὶ τῶν τοιούτων γραφὴν πεποιήκασι· » leges et » de istiusmodi facinoribus actionem publicam fecerunt." Cf. Idem In Androt. p. 601. 21.

Quod autem Andocidi De Myster. p. 35. ὀφείλοντες ἀργύριον, praeter alios istos, numerantur et illi οἳ γραφὰς ὦφλον· appellatione hac intelligendi sunt quibuscumque in publico judicio *poena pecuniaria* dicta est, quibus lis pecuniâ est aestimata. Nam aliae γραφαὶ poenas alias: multae earum statuebant ἀτιμίαν tamquam poenam, ut animadvertimus v. c. in caussis δώρων, ψευδοκλητείας, caet. Sed in hoc nunc loco versatur Andocides: *aerarios* recenset, publicae rei debitores: et hic quidem, magis stricte, *pecuniae damnatos qui non solvissent*. Idque et ad eos profecto pertinet, ut jam vidimus porroque videbimus, qui damnati essent vel εὐθύνας, vel ἐξούλας, vel item ἐπιβολάς. Quicumque vero, *ob crimen aliquod*, quidquid fuerit, accusatione ordinaria in judicium delati, poenaque mulctati essent pecuniaria a *judice*, quique, nondum eâ poena soluta, debitores ergo remanerent reipublicae, γραφὰς ὄφλειν ii omnes dicebantur.

Aliquando, sensu strictiori, γραφὴ nude ac simpliciter sic ponitur, significaturque γραφὴ παρανόμων, i. e. accusatio ejusmodi qua arguitur quis ore seu scripto suasisse aliquid juri recepto contrarium (1). Solennis hujus actionis formula exstat apud Demosthenem De Corona p. 243. sq. De ea cff. G. F. Schömann De Comitiis Atheniensium II. 2. p. 159: Platner Der Process und die Klagen bei den Attik. II. 2. 5. p. 25. sqq. Hermann Lehrbuch der griech. Staatsalterth. § 132. Vid. et infra Cap. XLIII.

(1) Cf. Reiskius Ind. Demosth. in v.

CAPUT XLI.

V. Ἐπιβολή, *mulcta dicta ante judicium a Senatu seu a magistratu qui judicio praeest. A Senatu Quingentorum. Ab Archonte Eponymo.* — Κατὰ τὸ τέλος ἐπιβάλλειν. — *A Proëdris. A magistratu qui ludis praeesset. A Strategis.* — Ἐπιβολή *et dicta a magistratu, si accusator judicium publicum non persequeretur.* — Τῇ γραφῇ ἐπεξιέναι, ἐπεξέρχεσθαι. Ἀνακρίνειν, ἀνάκρισις. διαδικασία. *Actio* ἐκκειμένη. διαγράφειν. — *Ad omnia judicia publica pertinet, exceptis* εἰσαγγελίαις. — *Item si accusator quintam suffragiorum partem non tulisset:* τὸ ἐπίπεμπτον.

Ἐπιβολή, proprie ἐπιβολὴ ζημίας, *mulctae impositio, irrogatio*, saepissime simpliciter ita ponitur, et *mulctam* significat, universe quamlibet: veluti apud Lysiam Orat. XX. p. 676, ubi de tyrannis usurpatur, qui reo, pro quo scripta est oratio illa, pecunias imperaverant, nisi ipsis suam operam praestasset: similique sensu ab eodem Lysia, In Alcibiad. II. p. 565, ἐπιβάλλειν τινί, *mulctam alicui imponere*, dicitur de belli ducibus, ejusmodi poenam alicui imponentibus.

Proprie tamen, apud Atticos quidem, nomine ἐπιβολῆς vocatur *mulcta, ante judicia, a Senatu seu a magistratibus dicta qui judiciis praeessent:* opponitur poenis pecuniariis quibus lis in judicio aestimaretur, omnino poe-

nis, quas, caussâ dictâ, judices ipsi damnatis irrogarent: proximo has spectavimus Capite. Ergo et Andocides, loco illo insigni Cap. II. p. 7. a nobis allato, separatim memorat γραφὰς et ἐπιβολάς. Eademque significatione, de magistratu mulctam imponente, postea rem ad judices deferente, ἐπιβολὴν ἐπιβάλλειν dicitur a Lysia Or. XXX. p. 840. pr.: Demosthene In Mid. p. 572. 19: item usurpari videtur a Xenophonte Hist. Gr. I. 7. § 1, ubi quum ante ipsum legeretur ἐπιβουλὴν, recte, praeeuntibus Brodaeo, Budaeo, Tayloro (1), Marklando, ἐπιβολὴν reposuit Morus, qui hac de re in Indice conferri potest: minus recte tamen hoc non de magistratu intelligens, sed de accusatore, quem perperam, in eâ quidem caussa, ab illo diversum fuisse credit: adeoque etiam ἐπιβολὴν ἐπιβάλλειν vertens *postulare ut reo mulcta imponatur;* quum simpliciter, ut alibi, ita hoc loco, sit *mulctam imponere:* quod erat magistratus, ante rem ad judices delatam. De quonam autem magistratu locutus sit Xenophon, illud haud facile dixerim; siquidem corrupta videntur quae proxime praecedunt, ut Moro facile assentior. Similiter porro idem ibid. I. 12. § 1.

Neque vero hic reticendum est Scholion, quod ad Timaeum in v., (quamquam caeterum hanc ipsam vocem non de *mulctâ*, sed longe aliâ nec tamen minus notâ significatione de *tributo* interpretantem,) retulit Ruhnkenius, ex Lexico Rhetorico, tunc M. S., postea edito a Bekkero in Anecdotis, ubi locus ille est Tom. I. p. 254. Etenim hoc Scholion ad rem nostram plane est appositum. Ἐπιβολὴ καὶ ἐπιβάλλειν ζημίας ὄνομα, τὸ τὸν ἄρχοντα ἢ τὴν βουλὴν χρήματα ὁρίζειν τινὶ ζημίαν δοκοῦντι ἀδικεῖν τὰ δημόσια, ἢ ὀρφανοὺς, ἢ κατέχειν τὰ ἀλλότρια,

(1) Simili emendatione idem Taylorus locum sanavit Lysiae Or. VI. p. 219., pro ἐπιβυλῆς corrigens ἐπιβολῆς, ibidemque de hoc ipso argumento doctissime exponens.

καὶ μὴ εἰς ἐμφανὲς ἄγειν. τὸ δὲ ἐπιβάλλειν ἐπὶ τοῦ ζημιοῦσθαι τέτακται. » Ἐπιβολὴ et ἐπιβάλλειν, mulctae no» men, quum Magistratus (1) vel Senatus pecunias defi» nit mulctam alicui viso laedere rempublicam, vel or» bos, vel detinere aliena neque in publicum depromere » Ἐπιβάλλειν autem pro mulctare ponitur."

Primum in iis caussis, in quibus erant denunciątiones, εἰσαγγελίαι, ad *Senatum Quingentorum*, quibus idem Senatus ergo praeerat: si magistratus vel oratores vel alii quicumque rei peccasse quidem nec tamen insigniter viderentur, Senatus ipsis mulctam, ἐπιβολὴν, dicebat, idque proprie vocabatur ἐπιβολὴν ζημίας ποιεῖν· sin majora deliquissent, tribunali, τῷ δικαςηρίῳ, tradebat, ut judices statuerent *quidnam reos corpore vel aere luere oporteret*, ὅ, τι χρὴ παθεῖν ἢ ἀποτίσαι. Videatur Pollux VIII. s. 51.

Similiter in caussis *orborum*, τῶν ἐπικλήρων, *domuum desertarum*, *viduarum gravidarum*, quorum omnium curam *Archon Eponymus* gerebat, is mulctam imponere poterat *usque ad certam summam*, sive sponte injurias vindicaret, sive hac de re apud eum factae essent εἰσαγγελίαι. Legem ipsam refert Demosthenes Adv. Macart. p. 1076. Ὁ Ἄρχων ἐπιμελείσθω τῶν ὀρφανῶν, καὶ τῶν ἐπικλήρων, καὶ τῶν οἴκων τῶν ἐξερημουμένων (2), καὶ τῶν γυναικῶν, ὅσαι μένουσιν ἐν τοῖς οἴκοις τῶν ἀνδρῶν τῶν τεθνηκότων, φάσκουσαι κύειν. τούτων ἐπιμελείσθω καὶ μὴ ἐάτω ὑβρίζειν περὶ τούτους. ἐὰν δέ τις ὑβρίζῃ, ἢ ποιῇ τι παράνομον, κύριος ἔςω ἐπιβάλλειν κατὰ τὸ τέλος. ἐὰν δὲ μείζονος ζημίας δοκῇ ἄξιος εἶναι, προςκαλεσάμενος προπέμπτα, καὶ

(1) *Magistratum* L. l. reddimus τὸν ἄρχοντα, quod et aliis, praeter illos Novem, mulctas imponendi jus fuisse, infra hoc ipso Capite videbimus.

(2) Significari his verbis videtur, si quis decessisset sine heredibus, aut, si domo relictâ, non appareret.

τίμημα ἐπιγραψάμενος, ὅ, τι ἂν δοκῇ αὐτῷ, εἰσαγαγέτω εἰς τὴν ἡλιαίαν. ἐὰν δ' ἁλῷ, τιμάτω ἡ ἡλιαία περὶ τοῦ ἁλόντος ὅ, τι χρὴ αὐτὸν παθεῖν ἢ ἀποτίσαι. »Archon curam »gerat orborum, et ἐπικλήρων, et domuum desertarum, »et mulierum quae remanent in domo virorum defun»ctorum quaeque gravidae esse dicuntur. Horum cu»ram gerat neque sinat in iis contumeliam fieri. Si »quis autem faciat contumeliam, aut quidquam contra »leges faciat, liberum sit (Archonti), mulctam dicere »usque ad certam summam. Quodsi majori poenâ vi»deatur dignus esse, (Archon reum) confestim citans, et »litem ipsi aestimans quanti sibi videatur, deferat ad »Heliaeam. Si autem damnetur, statuat Heliaea de »damnato quidnam oporteat ipsum pati seu luere." Conferri possunt verba Isaei Orat. II. p. 53., antea, quum de actione βιαίων exponeremus, Cap. XXXIX. p. 218., a nobis adducta, ubi magis peculiariter cura *bonorum* filiae legitimae, quae heres a patre accepit, ad Archontem, i. e. Eponymum, pertinere, et ad hunc εἰσαγγελία dicitur instituenda esse, si quis bona illa ei abstulerit: ipsa haec εἰσαγγελία, utpote publica accusatio, privatis actionibus, quae hic quoque, ut in omnibus caussis pecuniariis, obtinebant, opponitur: de poena, minus accurate quam a Demosthene, attamen vere, dicitur, εἰσαγγελθέντα κινδυνεύειν περὶ τοῦ σώματος καὶ τῆς οὐσίας ἁπάσης τῆς ἑαυτοῦ· »denunciatum periclitari de persona et »de omni fortuna." Quocum fere convenit Andocides, loco illustri, et in ipso hujus disputationis initio a nobis allato, De Myster. p. 35, ubi inter eos ἀτίμους, quorum post nonam Prytaneam debitum duplicabatur, bona publice vendebantur, recenset et illos, ὁπόσοι ἐπιβολὰς ὦφλον. — Et ita vero, *usque ad certam summam* mulctas imponere, reddidimus Demosthenis verba, ἐπιβάλλειν κατὰ τὸ τέλος. Taylorus quidem, in Notis ad Lysiam Adv.

Andocid. p. 219. sq. R., et ad Æschinem In Timarch. p. 61. R. not. 23., ex hoc loco Æschinis, quem item mox memorabimus, ea verba sic explicat, ut κατὰ τὸ τέλος sit *usque ad definitam summam quinquaginta drachmarum*. Verum utrobique de caussis agitur longe diversis, minimeque exploratum est, easdem mulctas significari. Apud Isaeum Orat. III. p. 73. verba eadem occurrunt κατὰ τὸ τέλος ζημιοῦσθαι, ubi certissimum est, summam illam quinquaginta drachmarum intelligi non posse. Agitur enim ibi caussa hereditatis, atque Isaeus, seu is potius pro quo orationem scripsit, adversarium accusat quod falsum fecisset testamentum: qua occasione judices hoc fere modo alloquitur: »Non oportebat, »o judices, eum qui hereditatem tamquam ex testamento »ad se pertinentem appetit, si caussa cadat, tantummo-»do κατὰ τὸ τέλος ζημιοῦσθαι· sed melius esset, eum »tantumdem publico solvere damnari, quantum appe-»tiisset." Reiskius in Nota ad Isaeum d. l. sese antea suspicatum esse refert, significari ἐπωβελίαν, sextam partem litis aestimatae, quam in caussis civilibus et pecuniariis ea pars, quae inferior discederet, adversario pendebat. Quae suspicio mihi quidem valde placet. Postea tamen Reiskius dubitavit, num potius verba κατὰ τὸ τέλος vertenda essent *pro censu*. Et sic item in Indice Demosth. v. τέλος explicuit locum Demosthenis quem modo adduximus, ut ἐπιβάλλειν κατὰ τὸ τέλος sit *mulctam imponere censui cujusque proportionatam*. Atqui nullum, quod equidem sciam, indicium exstat, morem ejusmodi Athenis obtinuisse, ut in mulctis definiendis ratio census haberetur. Igitur utroque loco, cum Demosthenis, tum Isaei, similiter ut apud Æschinem vidimus, certam quamdam summam intelligi puto. Et apud Isaeum quidem, ut dixi, ἐπωβελίαν interpretor. Apud Demosthenem definitam pecuniam memorari exi-

timo, judici profecto ad quem dicebat bene cognitam, nobis hodieque non item cognitam. — Haec ergo, si ipse Archon modicam ejusmodi mulctam imponeret. Quodsi major poena irroganda videretur, tum vero Archon, ut addit Demosthenes, reos confestim citans, ac litem, quanti oportere existimaret, ipsis aestimans, ad tribunal eos deferebat. Caussâ qui cecidisset, damnato poenam dicebant Heliastae, quamnam corpore seu aere luere necesse esset.

Porro Æschines In Timarch. p. 59. sqq., cujus haec ipsa verba jam antea significavimus Cap. XX. p. 132., legem excitat *περὶ τῆς εὐκοσμίας τῶν ῥητόρων*, *de decoro Oratorum*, qua cautum erat ne quis orator, in Senatu vel ad populum dicens, cuiquam immodice conviciaretur, aliisve modis contra decorum ordinemque peccaret. Hujus rei cura atque animadversio erat penes Proëdros, qui mulctas dicere, *ἐπιβάλλειν*, poterant, *usque ad summam quinquaginta drachmarum in singula delicta: μέχρι ν δραχμῶν εἰς ἕκαστον ἀδίκημα.* Quodsi majori poenâ res vindicanda videretur, tum Proëdri, prius mulctâ quinquaginta drachmarum impositâ, deinde referebant ad Senatum, penes quem ejusmodi caussarum judicium erat. Ut tamen lis numquam nisi pecunia aestimaretur. Hoc enim ex postremis legis verbis colligo: *ἐὰν καταγνώσθη αὐτοῦ, —— ἐγγραψάτωσαν οἱ πρόεδροι τοῖς πράκτορσι·* »si judicetur contra ipsum, —— Proëdri eum inscribi »curent apud fisci exactores (1):" quae, puto, non nisi de mulctis pecuniariis intelligi possunt: cf. et Reiskius Ind. Demosth. v. *ἐγγράφειν*. Et huc omnino referendum videtur quod ex Polluce VIII. s. 51. modo vidimus: i. e. ab ipso Senatu tum dictam fuisse *ἐπιβολήν*. Itaque Proëdris plenum jus erat turbulentos oratores mulctis coërcendi, absque eo ut necesse esset amplius de eo

(1) *Πράκτωρ*, *fisci exactor*, *ἀπὸ τοῦ πράσσειν τὰς ζημίας*, *ab exigendo mulctas*, Pollux VIII. 114.

quaeri: mulctae illae modo ne superarent quinquaginta drachmas in singula delicta. Majorem pecuniam si imperandam esse ducerent, sententia eorum tum demum rata fiebat, quando confirmata esset a Senatu.

Constat item ex Demosthene In Mid. p. 572., si quis in theatro sedem, quam ipsi non liceret, occupasset, nec discedere vellet jussu magistratus qui ludis praeesset, tum huic licuisse mulctam, ἐπιβολὴν, ab isto homine exigere. Quam ut verisimile est exiguam fuisse, ita plenâ quoque potestate spectaculi praesidem hac de re statuisse, ut non opus esset mulctam ab eo dictam denuo in judicio examinari.

Secus erat in aliis nonnullis ἐπιβολαῖς, quas quidem magistratus dicebant, et exigere etiam poterant, nec tamen ita, quin et postea quaedam esset rationum redditio, et caussae in tribunali disceptatio. Sic enim fere proditur a Lysia in Orat. IX. p. 317. sqq. in caussâ hujusmodi. Miles quidam veteranus, pro quo Lysias scripsit hanc orationem, maledicta in Strategum effudisse dicebatur, quum lex vetaret magistratui convicia facere. Itaque ab inimicis delatione institutâ, idem, ut videtur, Strategus, Ctesicles (1), mulctam ei dixit: neque ipse

(1) P. 320. mulctam irrogasse dicuntur οἱ μετὰ Κτησικλέυς τῦ ἄρχοντος, quod, notante Reiskio in Nota ad. h. l., videtur novo modo dictum esse pro illo solito οἱ περὶ Κτησικλέα, *Ctesicles ejusque assessores.* Et Taylorus quidem ad h. l., *Archontem Eponymum* intelligit, qui proprie hoc nomine *Archon* vocatur. Atqui, ut ipse monet, Ctesicles Archon fuit Olympiade CXI. 3., quo tempore Lysias diem supremum jam obierat. Et vero totus locus indicare videtur, idque jam suspicatus est Reiskius, eumdem significari Strategum, a quo miles injuste sese habitum esse quereretur. Nec plane inusitatum est, ut ὁ ἄρχων dicatur minor magistratus, neque e Novem illorum Archontum numero qui peculiariter ita appellantur: quod idem notavit Reiskius Ind. Demosth. in v., nosque ipso hoc Capite p. 223. in alio vidimus exemplo. — Caeterum paullo

exegit, verum exeunte magistratu in album relatam tradidit exigendam Quaestoribus, τοῖς ταμίαις· ibid. p. 320—323. Quaestores ne ipsi quidem pecunias illas petierunt: sed caussâ cognitâ, primum Ctesicli ut mulctam remitteret suaserunt: quod quum ei persuadere non potuissent, *judicii periculum suscipientes, mulctam irritam judicarunt: τὸν παρ' ὑμῶν κίνδυνον ὑποστάντες, ἄκυρον τὴν ζημίαν ἔκριναν·* p. 324. Tum illud additur, p. 326., quo ostendatur, Ctesiclem sibi ipsum culpae conscium fuisse: *οὔτε γὰρ εὐθύνας ὑπέσχον* (1), *οὔτε εἰς δικαστήριον εἰσελθόντες, τὰ πραχθέντα ψήφῳ κύρια κατέστησαν· neque enim rationes subierunt, neque tribunal ingressi, facta sua suffragio judicum rata fieri curarunt* (2). Ergo mulctas illas magistratus vel ipsi petebant: vel Quaestoribus in tabulâ scriptum earum exemplum tradebant. Quodsi eas non exigi oportere existimarent Quaestores, res deferebatur ad tribunal, ut secundum alterutros judicaretur. An vero mulctam, quam magistratus imposuerat, tum etiam tribunalis judicio confirmari oporteret, si jam exacta esset pecunia, vel ab ipso magistratu, vel a Quaestoribus, dubium id videri possit. Magis tamen verisimile est, de hoc item judices cognoscere potuisse. Etenim cum a magistratu illo qui mulctam dixerat, tum a Quaestoribus, ut ab omnibus omnino qui quidquam publici muneris gessissent, rationes erant reddendae: qua

ante quaedam apud Lysiam excidisse videri, facile assentimur Tayloro, neque Reiskius locum integrum esse nobis persuasit.

(1) Pluralis numerus pendet a verbis οἱ μετὰ Κτησικλέους, quae ex antecedentibus sunt intelligenda.

(2) Sequentia verba, quibus hoc uberius exponi videtur, Ctesiclem, conscientiâ male factorum permotum, caussam non rite persecutum esse: haec verba, inquam, siquidem aliquot mendis laborant, hoc loco praetermisi, praesertim quum dicta rem satis declarent.

de re supra Cap. XXXVII. exposuimus. Quod vero monui, in ea militis caussa apud Lysiam memorata Strategum ipsum mulctam irrogasse videri; belli quidem ducibus talem in milites suos animadversionem fuisse, certo constat ex ejusdem Lysiae Oratione In Alcibiadem II. p. 565., ubi ait Orator, si quidquam rei, quod ibi memorat, accidisset, tum Strategos oportuisse ἐπιβάλλειν τῷ φυλάρχῳ, mulctam imponere Phylarcho," i. e. equitum turmae praefecto. Cf. et Cap. XIII. p. 102. in not.

Ἐπιβολὴ vocabatur item mulcta, ab eo solvenda, qui, quum publico judicio aliquem accusasset, postea litem non persequeretur: ut constat ex loco Æschinis De Fals. Legat. p. 269., quem quoque adduxit Taylorus: Πρότερον δ' ὑπεμείνας τὴν ἐπιβολὴν τῆς βουλῆς τῆς ἐξ Ἀρείου πάγου, οὐκ ἐπεξιὼν τῇ τραύματος γραφῇ, ἣν ἐγράψω. »Prius »vero sustinuisti mulctam a Senatu Areopagi, non per»sequens vulneris accusationem quam intentaveras." Haec mulcta certa atque definita erat mille drachmarum: teste in primis gravissimo Demosthene in Oratione In Theocrinem, a quo p. 1323 lex recitari jubetur, cujus ipsa quidem verba non servata sunt (1), sed de qua porro ita loquitur: Ὁ νόμος οὗτος —— τοῖς προαιρουμένοις ἢ γράφεσθαι γραφὰς, ἢ φαίνειν, ἢ ἄλλο τι ποιεῖν τῶν ἐν τῷ νόμῳ τούτῳ γεγραμμένων, προλέγει διαῤῥήδην, ἐφ' οἷς ἕκαστόν ἐστι τούτων ποιητέον. —— ἐὰν ἐπεξιών τις μὴ μεταλάβῃ τὸ πέμπτον μέρος τῶν ψήφων, χιλίας ἀποτίνειν. κἂν μὴ ἐπεξίῃ —— χιλίας ἑτέρας. »Lex illa —— volentibus »aut accusationes instituere, aut denunciare, aut aliud »quid facere eorum quae hac in lege memorata sunt,

(1) Est alicubi observatio, omnes leges, in Oratoribus descriptas, forte a Grammaticis additas esse, non ab ipsis Oratoribus profectas; siquidem pluribus locis mentio simpliciter exstat legem quamdam recitatam esse, neque ipsius legis verba exstant.

» diserte praescribit, quibusnam conditionibus unum» quodque horum sit faciendum. —— Sin persequens » aliquis non nanciscatur quintam partem suffragiorum, » mille drachmas solvere. Quodsi non persequatur, — » item mille drachmas.” Postea dicendum erit de illo qui quintam suffragiorum partem non tulisset; nunc de eo qui ne litem quidem persecutus esset videamus, et quanam ratione intelligendum sit illud *litem persequi*, τῇ γραφῇ ἐπεξιέναι, ut est apud Æschinem et Demosthenem locis citatis aliisque pluribus: aut ἐπεξέρχεσθαι, ut eadem significatione usurpatur a Demosthene ibid. p. 1323, 9. 25: p. 1324, 24: (ubi recte Wolfius ac Taylorus reposuerunt ἐπεξῆλθεν, quum antea vitiose legeretur ἐπῆλθεν:) p. 1329, 27. p. 1333, 21: Adv. Leptin. p. 501, 14: In Mid. p. 548, 8. Ulpianus quidem, in Scholiis ad hunc Orationis Midianae locum, dictionis vim minus bene cepisse videtur, licet ipse Demosthenes, In Theocrin. d. l. p. 1324., eam satis diserte declaret. Postquam enim accusationis seu delationis libellus traditus esset magistratui ad quem caussa pertinebat, is cum accusatorem, tum reum, *citabat*, ut coram se caussa disceptaretur: idque καλεῖν· *citationem*, κλῆσιν εἰς τὴν ἀνάκρισιν vocabant: de quo usu verborum καλεῖν et κλῆσις plura supra prodidimus Cap. XX. p. 131. sqq. Magistratus ille, *interrogans* litigantes qui citati ad eum venissent, hos ἀνακρίνειν· ipsi litigantes, actor et reus, ἀνακρίνεσθαι, *respondere*, dicebantur: cf. Demosthenes, cum loco citato, tum In Olympiod. p. 1173. 19: p. 1175. 28: Adv. Nicostrat. p. 1252. 5: item ἀποκρίνασθαι κατὰ τὸν νόμον, ut est apud Isaeum Orat. V. p. 127. Eaque ipsa praevia exploratio ἀνάκρισις vocatur ab Isaeo Orat V. p. 126. 131: Demosthene In Euerg. et Mnesibul. p. 1142. 10: In Theocrin. l. c.: eadem aliquando saepius iterata: Isaeus Orat. IV. p. 107: tum ἀνάγνωσις dicta; si modo,

ut Reiskio videtur in Not. et in Ind., sana sit lectio loci Demosthenei Adv. Nicostrat. p. 1253. 25., de qua Wolfius ad h. l. dubitat: vel *διαδικασία*· Antiphon Orat. XV. p. 786: *Ἔδει μὲν γὰρ τὸν βασιλέα, ἐπειδὴ ἀπεγράψατο, τρεῖς διαδικασίας ποιῆσαι ἐν τρισὶ μησὶ, τὴν δίκην δ' εἰσάγειν τετάρτῳ μηνί.* »Oportebat enim Regem Sacrorum, post»quam litem inscribi curasset, tres *διαδικασίας* facere in »tribus mensibus, litem vero introducere quarto mense." Ubi Reiskius in Ind. v. *διαδικασία*, hanc explicat *ἀνάκρισιν*, *confrontationem*: bene quidem, meo judicio. Quam sententiam si teneamus, illud quoque, cum hinc, tum ex Demosthenis Oratione adversus Nicostratum modo allata, magis etiam confirmatur, quod ex Isaeo antea vidimus, confrontationem illam aliquando saepius iteratam fuisse. Eamque *ἀνάκρισιν judicii constitutionem caussaeque exordium* vertit Budaeus, recteque ita ipsum vertisse ait Taylorus, Annotat. ad Demosth. In Theocrin. p. 1324. 23., ibidem locum excitans Gellii V. 10., qui non prorsus ab hoc loco Demosthenis alienus est, nec tamen eamdem plane rem significat: » Et cum ad judices con»jiciendae consistendaeque causae gratia venissent, tum »Protagoras sic exorsus est:" caeterum ex re et vero pronuncians, *ἀνάκρισιν* »non esse judicium ipsum, sed »ipsius praeparatorium, ubi quaeritur utrum actio in»stituenda sit nec ne:" quum interim actio necdum instituta sed tantummodo *magistratui proposita*, *ἐκκειμένη*, diceretur, verbo proprio et forensi, de quo conferatur Demosthenes In Theocrin. p. 1324, 10: 16: 22: p. 1330, 4: in primis Idem In Mid. p. 548 init: ubi additur, hanc inscriptionem factam ante statuas Eponymorum: (quod et supra Cap. XII. p. 92. indidem notavimus;) tum ipsa ejusmodi inscriptionis formula recitatur: *Καὶ γὰρ οὔτ' ἀνεκρίνετο ταύτην ὁ συκοφάντης ἐκεῖνος, οὐθ' οὗτος οὐδενὸς ἕνεκα αὐτὸν ἐμισθώσατο, πλὴν ἵν' ἐκκέοιτο πρὸ τῶν*

ἐπωνύμων, καὶ πάντες ὁρῷεν· Εὐκτήμων Λουσιεὺς ἐγράψατο Δημοσθένην παιανιέα λειποταξίου. » Etenim neque respon- » dit accusationemque persecutus est sycophanta ille, ne- » que is cujusquam rei caussa ipsum conduxit, nisi ut » exposita esset actio ante statuas Eponymorum, et om- » nes viderent: *Euctemon Lusiades Demosthenem Paea- » niensem accusavit desertorum ordinum.*" Is autem a quo libellus erat oblatus, si praesentem judicio se non stitisset, idem magistratus accusationem *expungebat*, διέγραφεν. Quamquam et in privatis caussis, si actor citatus abesset nec legitimam absentiae caussam attulisset, ἡ ἀμφισβήτησις διαγράφεσθαι, *controversia expungi* solebat. Sed in publicis, accusator ipse praeterea mille drachmis mulctabatur: ut ex loco constat jam saepius citato Demosthenis In Theocrin. p. 1323. sq.: porro ex eodem In Olympiod. p. 1174, 13: p. 1178, 21. Et vero actor, libellos a se contra reum datos magistratum rogans ut expungeret, similiter ipse διεγράψατο· quo verbo, item hac in re proprio, utitur Demosthenes Adv. Leptin. p. 501. 20. Caussam ergo *persequi*, ἐπεξιέναι, videbatur is, qui a magistratibus citatus ad respondendum venisset, ὃς εἰς τὴν ἀνάκρισιν καλούμενος ὑπὸ τῶν ἀρχόντων, ὑπηκούσεν· seu, ut brevius dicitur ab Isaeo Orat. V. p. 128, ἥκων εἰς τὴν ἀνάκρισιν. Qui secus fecisset, adversus eum legitima poena erat mille drachmarum: earumque, ut cum sponte intelligitur, tum diserte ab Anonymo traditur in Argumento Orationis In Theocrinem p. 1321, publico solvendarum; ut is adeo, qui non pependisset, tam diu debitor rei publicae, ὀφείλων τῷ δημοσίῳ, maneret. Hoc nomine igitur et in Theocrinem facta est *denunciatio*, ἔνδειξις (1), quippe qui

(1) Ἔνδειξις vocabatur ejusmodi denunciatio, adversus proditores, homicidas, omnino aerarios quoslibet, qui praeter fas in foro versarent juraque civilia ipsis negata usurparent. Ad hoc

φάσιν (1) a se institutam non persecutus, indeque aerarius factus, jura, quibus interdictum aerariis erat, usurpasset. Quo item referenda sunt verba Demosthenis In Midiam, loco modo citato p. 548. 7., de Euctemone, qui desertorum aciei ordinum accusationem instituisset, nec tamen persecutus esset: 'Αλλ' ἐῶ τοῦτο. ἐφ' ᾧ γὰρ ἐκεῖνος ἑαυτὸν ἠτίμωκεν, οὐκ ἐπεξελθὼν, οὐδεμιᾶς ἔγωγ' ἔτι προςδέομαι δίκης, ἀλλ' ἱκανὴν ἔχω. » Sed mitto hoc. Qua » in re enim iste seipsum infamia affecit, caussam non » persequens, nulla equidem adhuc insuper indigeo lite, » sed sufficientem habeo." Certe quod nugatur Scholiastes, non nisi caussâ peroratâ suffragiisque judicum latis accusatorem infamia notari potuisse, itaque sophistice hoc a Demosthene dici in Euctemonem, quasi is, qui ne quidem judicio rem commisisset, se ipse infamia dignum judicasset; hac difficili et contorta interpretatione minime opus esse, satis, opinor, ex iis quae prodidimus perspicuum est: neque fere admonitione hoc indiget, ἀτιμοῦσθαι de iis quoque usurpari, qui mulctae damnati, non continuo eam solverint: cujus usus exempla postea sane plura spectabimus.

Caeterum Demosthenis locum illum primarium, ex Oratione In Theocrin. p. 1323., quem paullo ante apposuimus, probabiliter ita explicat Heraldus Observat. ad Jus Att. et R. VII. 16. n. 16. p. 553., ut poena accusatoris litem non persecuti non modo pertinuerit ad φάσεις et ad γραφὰς, de quibus id diserte pro-

genus pertinet ipsa illa Demosthenis Oratio in Theocrinem. Cf. et Reiskius Ind. Demosth. in v.

(1) Φάσις dicebatur actio ejusmodi, qua quis apud magistratum deferebatur quod in importandis seu in exportandis mercibus contra leges commisisset. Cf. Reiskius Ind. Demosth. in v. Et sic quidem hoc loco. Quamquam latius patuit actio illa: vid. Hermann: Lehrbuch der griechischen Staatsalterthümer § 136.

ditur a Demosthene, sed item ad ἐνδείξεις et ἀπαγωγὰς, omniaque omnino judicia publica, exceptis tantum accusationibus illis quae vocabantur εἰσαγγελίαι (nonnullis certe hujus generis, de quibus paullo post videbimus).

Et vero jam saepius monuimus, ἐπιβολὰς ejusmodi dictas fuisse, non a judice, verum a magistratu qui judicio praesset. Accusationis enim libello deleto, neque in judicium caussa deferebatur. Itaque singulare est quod notavimus ex Æschine De Fals. Leg. p. 269, in *vulneris*, τραύματος, actione, mulctam hanc imposuisse Areopagum. Unde et confirmatur eorum sententia qui existimant, Archontes Athenis singulos singulis tribunalibus reliquis praefuisse, non item Areopago: cui, non nisi caedes contracta vel piacúlum esset commissum, Regem Sacrorum praesidem adsedisse: caeteras caussas Areopagum, quasi ex pristinae potestatis hereditate, solum per se cognovisse.

Mulctam istam mille drachmarum item statutam fuisse contra eum qui litem quidem esset persecutus, quintam vero suffragiorum partem non tulisset, ex eodem illo id supra vidimus Demosthenis loco, In Theocrin. p. 1323: ἐὰν ἐπεξιὼν τις μὴ μεταλάβῃ τὸ πέμπτον μέρος τῶν ψήφων, χιλίας ἀποτίνειν· » si persecutus (litem) quis, non nanciscatur quintam partem suffragiorum, mille (drachmas » eum) solvere." Quod ipsum, referente Plutarcho Demosth. p. 857. B. (p. 268. Wytt.), in nobilissima illa De Corona adversus Demosthenem caussa quum accidisset Æschini; ergo, ne mulctam solveret, is statim urbe excessit. Et hujus quidem periculo mulctae non tantummodo instituebantur γραφαὶ et φάσεις, de quibus id ibidem prodit Demosthenes. Quin item ἀπαγωγαὶ (1) An-

(1) Ἀπαγωγὴ erat actio ejusmodi, qua quis, in flagranti comprehensus delicto, ad judices rerum capitalium confestim deduce-

docides In Alcibiad. p. 120: Demosthenes In Aristogit. II. p. 803. 15.— Ἐνδείξεις (1)· Andocides De Myster. p. 17.— Ἐφηγήσεις· Demosthenes In Aristogit. II. p. 803. 15 (2). Omnia publica judicia, ut actori litem non persequenti, (qua de re antea vidimus,) sic eidem quintam suffragiorum partem non ferenti, mulctam hanc minitabantur.

Una solum erat poenae utriusque exceptio, prodita illa ab Isaeo Or. II. p. 44. sqq.: cujus verba, quia perspicua sunt, omnemque, quae ex Grammaticis mota est, tollunt dubitationem, integra jam apponamus. Sic ergo Isaeus, ad Nicodemum quemdam loquens. Καὶ οὐκ ἂν εἰσήγγελλες πρὸς τὸν ἄρχοντα, κακοῦσθαι τὴν ἐπίκληρον ὑπὸ τοῦ εἰσποίητου οὕτως ὑβριζομένην, καὶ ἄκληρον τῶν αὐτῆς πατρῴων καθισταμένην; ἄλλως τε καὶ μόνων τούτων τῶν δικῶν ἀκινδύνων τοῖς διώκουσιν οὐσῶν, καὶ ἐξὸν τῷ βουλομένῳ βοηθεῖν ταῖς ἐπικλήροις; οὔτε γὰρ ἐπιτίμιον ταῖς πρὸς τὸν ἄρχοντα εἰσαγγελίαις ἔπεστιν, οὐδ᾽ ἐὰν οὐδεμίαν τῶν ψήφων οἱ εἰσαγγείλαντες μεταλάβωσιν· οὔτε πρυτανεῖα, οὔτε παράστασις οὐδεμία τίθεται τῶν εἰσαγγελιῶν· ἀλλὰ τοῖς μὲν διώκουσιν ἀκινδύνως εἰσαγγέλλειν ἔξεστι, τῷ βουλομένῳ, τοῖς δ᾽ ἁλισκομένοις ἔσχαται τιμωρίαι ἐπὶ ταῖς εἰσαγγελίαις ἔπεισιν. »Et nonne denunciasses apud Archontem, male »haberi mulierem ἐπίκληρον a filio adoptato ita contu»meliâ affectam, et exsortem paternorum ipsius bonorum »factam? Praesertim quum solae actiones ejusmodi ac»toribus nullum periculum adferant, et volenti cuique

batur: vel item in carcerem, ut ea de re postea haberetur judicium. Cf. Reiskius Ind. Demosth. in v.

(1) Ἔνδειξις erat denunciatio quaedam apud magistratum, si delictum constaret, neque ergo judicio, nec nisi castigatione poenaque opus haberet: Pollux VIII. 50: Hermann: Lehrbuch § 137. n. 4.

(2) De hoc judicio, quod et memorat idem Demosthenes In Androt. p. 601., inde verbo monuimus Cap. X. p. 66.

» liceat ἐπικλήροις succurrere? Neque enim mulcta his » apud Archontem denunciationibus subest, ne si nul» lum suffragiorum denunciatores tulerint: neque spor» tulae, neque sacramentum ullum deponitur denuncia» tionum: sed actoribus sine periculo denunciare licet, » et quidem cuique volenti, damnatos vero in denuncia» tionibus extremae manent poenae." Idem, sed magis universe, significat Hyperides apud Pollucem VIII. s. 53. Bene autem tenendum est, Isaeum non de omni hujus generis loqui judicio: illam solummodo εἰσαγγελίαν significat quae apud Archontem instituebatur Eponymum, illam, dico, κακώσεως nomine delatam, de qua Cap. XXI. exposuimus. Discrimen notat Meierus: De Bonis Damnat. p. 134 not. 443. Nam in caeteris εἰσαγγελίαις, similiter ut in aliis judiciis publicis, mulctam 1000 drachmarum dictam fuisse adversus actorem qui vel non persecutus esset litem, vel quintam suffragiorum partem non obtinuisset, utique ei assentimur. Probat hoc ipse ille a nobis descriptus Isaei locus, quippe qui, modo verbis bene attendamus, ad solas restringendus est εἰσαγγελίας *apud Archontem:* confirmat reliquorum silentium Scriptorum, de nulla alia εἰσαγγελίᾳ affirmantium (1). Neque in hisce ab ἀτιμίᾳ erat immunitas: qua de re dubitan-

(1) Eadem plane, quae nostra, licet aliis partim superstructa argumentis, doctrina est Boeckhii: Staatshaush. T. I. p. 406. sqq. Neque erat quod eam desereret Heffterus: Athen. Gerichtsverf. Zusätz. p. 494. sq. — Demosthenis caussam illam in Midiam recte, post Taylorum, explicaverat d. l. Boeckhius: inde probari nequit geminae illius mulctae absentia legitima in προβολῇ. — Μήνυσις, *denunciatio simplex*, ut vocat Heffterus, quae quidem, sicuti post alios, ipse p. 234—237 recte docet, non civibus tantum concessa erat, sed cum peregrinis, tum servis, omnino h. l. ea non erat memoranda; *indicium* ejusmodi non est actio, *index* non actor, neque in indicem cadebat poena legitima de qua agimus.

ter Meierus pronunciat; siquidem hujus ipsius mulctae, ἐπιβολῆς, haud minus quam caeterarum, damnati, ad ὀφείλοντας illi pertinebant (2).

Quum autem, res ipsa loquitur, haud ita raro id accideret, accusatorem non ferre quintam suffragiorum partem, hinc et plura eodem respiciunt Scriptorum loca. Veluti Demosthenis De Coron. p. 261. 19: p. 315. 16: In Androt. p. 599. fin.: In Timocrat. p. 701. pr.: p. 702 6: Platonis Apol. Socr. p. 36. B: alia innumera. Eoque referenda verba Demosthenis In Aristog. II. p. 803. 12, ἀτιμίαν scilicet hujusmodi accusatoris, qui partem suffragiorum quintam non tulisset, nec mulctam solvisset, per partes significantis: (male ea cepit Petitus Comment. p. 515). Quod idem vero Demosthenes ait l. c. De Coron. p. 261.: τὸ πέμπτον μέρος τῶν ψήφων οὐ λαβὼν, ἀπέτισε τὰς πεντακοσίας δραχμάς· » quintam suffragiorum partem quum non tulisset, solvit *quingentas* » drachmas:" cum aliis locis pluribus, inprimis cum illo, quem antea descripsimus, notabili ejusdem Oratoris In Theocrinem, hoc ita conciliari oportet; ut vel simpliciter ibi significetur quingentas drachmas, quum mille debuissent, solutas reapse fuisse; vel mulctam ipsam, quod saepius sic obtinuisse videbimus Capite sequenti, minutam damnato partimque remissam. Licet enim ibidem verba τὰς π. δ., ut Boeckhio: Staatsh. T. I. p. 408. not. 295. concedimus libenter, ex ratione grammatica solenne quid et ordinarium indicare possint videri, non sinunt hoc ita accipere loca illa diserteque ibi prodita poena definita mille drachmarum: et vel delendus est articulus τὰς, vel potius statuendum, dimidiae remissio-

(2) De εἰσαγγελίᾳ, praeter ea quae supra, ipso hoc Capite, attulimus, conferantur Hermann Lehrbuch der Griechischen Staatsalterthümer § 133, ibique citati, van Osenbruggen De Senatu Atheniensium p. 22. sqq.

nem mulctae, cujusmodi satis erat frequens, hac in caussa non significatam a Demosthene propterea, quod eam concessam fuisse, populo notissimum erat.

Τὸ *ἐπίπεμπτον* vocabant quintam suffragiorum istam partem: videatur Harpocration in v., versum citans Aristophanis ex comoedia deperdita *Δαιταλεῖς*·

Εἰ μὴ μεταλάβῃ τοὐπίπεμπτον, κλαέτω.

»Si non nanciscatur quintam suffragiorum partem, ploret."

CAPUT XLII.

Conditio τῶν ὀφειλόντων τῷ δημοσίῳ. *Post nonam Prytaneiam, debitum duplicatum: in carcerem conjici poterant.* Ἐγγράφειν, ἐγγραφή· ἀντεγγράφειν· ἐξαλείφειν· ἀπαλείφειν· προσοφείλειν· τάξις· ἄφεσις. Ἀτιμία τῶν ὀφειλόντων *ad heredes transibat.*

Haec igitur sunt quae de variis apud Athenienses ὀφειλόντων generibus essent exponenda. De communi eorumdem conditione jam porro videamus. Quamquam id ipsum, ubi de singulis illis generibus actum est, magnam jam subinde occupaverimus partem: ut nunc paucis liceat defungi.

Omnibus omnino hoc erat proprium, eos reipublicae fuisse debitores, eos populo, hac illâve de caussa, pecunias debuisse. Unde et ipsum nomen venit τῶν ὀφειλόντων τῷ δημοσίῳ, *publicae rei debitorum:* — sic enim fere simpliciter solent vocari. Andocidi De Myst. p. 35. 9. magis distincte dicuntur οἱ ἀργύριον ὀφείλοντες τῷ δημοσίῳ, *pecuniam rei publicae debentes.* — Itaque et debito soluto caussaque ipsa ἀτιμίας remota, simul cum hoc nomine ὀφειλόντων cessabat ἀτιμία, pristinaque in republica jura viri ejusmodi recuperabant. Quo respicit Isocrates Panath. init. p. 234. E. p. 235. A: ubi queritur, sibi deesse duas res quae in civitate plurimum valent,

φώνην ἱκανὴν καὶ τόλμην. »vocem splendidam et auda-»ciam:" ὧν οἱ μὴ τυχόντες ἀτιμότεροι γίνονται πρὸς τὸ μὴ δοκεῖν ἄξιοί τινος εἶναι, τῶν ὀφειλόντων τῷ δημοσίῳ. τοῖς μὲν γὰρ ἐκτίσειν τὸ καταγνωσθὲν, ἐλπίδες ὕπεισιν· οἱ δ' οὐδέποτ' ἂν τὴν φύσιν μεταβάλοιεν. »quibus qui destituun-»tur, magis infames fiunt ut nulla re esse digni vide-»antur, quam qui aerario debent. His enim vero *mulctae* »*solvendae spes subest:* illi nequaquam naturam muta-»verint." Idem praeterea innumera Scriptorum loca diserte declarant: quae quum recensere sit infinitum, ex iis citasse suffecerit Demosthenis Orationem In Theocrinem, in ipso hoc argumento versantem, id est delatione ὀφείλοντος jura civilia usurpantis resque tribulium communes gerentis: qui hoc fecisset, cum mala fide, τοῦτο δ' ὀφλων, καὶ τοὺς νόμους, ἀκριβῶς εἰδὼς, ὅτι κωλύουσιν αὐτὸν γράφεσθαι γραφὰς, ἕως ἂν ἐκτίσῃ, βιαζόμενος, καὶ νομίζων δεῖν τοὺς μὲν ἄλλους τοὺς ὀφείλοντας μηδενὸς μετέχειν τῶν κοινῶν, αὐτὸν δὲ κρείττω τῶν νόμων εἶναι· »tum vero aerarii debitor (quum esset), et leges, bene »sciens quod ipsum vetarent accusationes instituere *donec* »*solvisset*, violans, et oportere putans reliquos quidem »aerarii debitores nullius e communibus juribus partici-»pes esse, ipsum vero legibus superiorem esse:" p. 1326. 19. Contra jura haec patria ergo commisisse contenditur a Demosthene Timocratem illum, qui legem tulerat, (nec tamen perlata videtur,) qua ἐπιτίμους τοὺς ὀφείλοντας, οὐ τὰ προσήκοντα ἐκτίνοντας, καθίστησιν· »aerarii de-»bitores, qui non solvissent debita, in integrum restitu-»eret:" In Timocr. p. 729. 8. Jura enim illa τὸν ὀφείλοντα τῷ δημοσίῳ faciebant ἄτιμον *donec solvisset*, μέχρις ἂν ἐκτίσῃ· ut bene Libanius Argum. Demosth. In Aristogit. I. p. 768. 25., et modo ex Demosthenis vidimus Theocrinea. Et vero ejusmodi *aerarios*, (nam et hoc nomine Latine appellantur,) Athenis maximo numero fuisse, satis, opi-

nor, manifestum est ex iis quae supra exposuimus de variis eorum generibus variisque debiti caussis. Unde mirari non oportet, principum ejusdem civitatis virorum compluribus tale quid accidisse. Veluti de Demade Oratore refertur apud Plutarchum in Phocion. p. 743. B., eum septem judiciis παρανόμων damnatum, pecuniâque litem ei aestimatam fuisse: cujus pecuniae quum nullam partem solvere posset, γεγενὼς ἄτιμος, ἐξείργετο τοῦ λέγειν· »factus infamis, remotus est a dicendo (1)." Idem alibi de pluribus aliis proditur. Qua in re, verissime monet Isocrates De Bigis p. 356. D. E., non eamdem esse divitum et pauperum conditionem, *licet iisdem poenis irrogatis*, τῶν αὐτῶν τιμημάτων ἀπογεγραμμένων· siquidem illi omnino pecuniâ mulctentur: pauperes vero, quippe qui pecuniam solvere non possint, ἀτιμίᾳ plectentur: eamque poenam exsilio graviorem esse. Πολὺ γὰρ ἀθλιώτερον παρὰ τοῖς αὐτοῦ πολίταις ἠτιμωμένον οἰκεῖν, ἢ παρ' ἑτέροις μετοικεῖν. »Multo enim miserius (est), »apud suos ipsum cives infamia notatum habitare, quam »apud alios exsulare."

Hisce aerariis lege vetitum erat γράφεσθαι, φαίνειν, ἐνδεικνύναι· *accusare, indicare, denunciare:* Demosthenes In Theocrin. p. 1326. 19: p. 1337. 3.: ἐκκλησιάζειν, δικάζειν· *concioni, judicio, interesse:* Idem In Mid. p. 573. 11: In Timocrat. p. 716. 15: p. 739. 7 et 9.: (ex quo posteriori patet loco, saepius a pauperioribus hanc in le-

(1) Temere hanc Plutarchi narrationem falsam pronunciat Meierus De Bon. Damnat. p. 141. not. 459. Etenim, ut porro hoc ipso Capite videbimus, post nonam demum Prytaneam inscriptio fiebat τοῦ ὀφείλοντος, itaque hunc ἄτιμον esse, constabat certo ac legitime: nihilque impedit quo minus septem illa judicia intra hoc spatium statuamus locum habuisse omnia. Quamquam caeterum lubenter assentimur Boeckhio T. I. p. 415—423, Meiero p. 138, sqq., ab ipsa jam inde sententia debitorem ejusmodi publicum reapse fuisse ἄτιμον.

gem commissum fuisse, ob mercedem scilicet datam iis qui concioni adessent vel judices sederent): *ἄρχειν, magistratum gerere:* In Leptin. p. 504. 25: *λέγειν, ad populum dicere:* In Aristogit. I. p. 771. 6. Dinarchus In Aristogit. p. 77; Plutarchus Phocion. l. c. Omnino, donec solvissent, ipsi, ut reliqui infamia notati, omnibus fere carebant publicis civium juribus (1). Quin de ejusmodi homine ait Demosthenes In Theocrin. fin. p. 1343. 19, eum ne quidem frui *τῆς καὶ τοῖς ξένοις δεδομένης παῤῥησίας, libertate loquendi etiam peregrinis concessâ.*

Novem mensibus elapsis, debitum duplicabatur. Andocides De Myst. p. 35. 14. *Τούτοις ἡ μὲν ἔκτισις ἦν ἐπὶ τῆς ἐννάτης πρυτανείας· εἰ δὲ μὴ, διπλάσιον ὀφείλειν, καὶ τὰ κτήματα αὐτῶν πεπρᾶσθαι.* » His quidem solutio erat » usque ad nonam Prytaneam: sin vero non (solvissent), » duplum debere, et bona eorum vendi." Demosthenes In Neaer. p. 1347. 8. *Ἀλλ᾽ ἐπειδὴ περὶ τοῦ τιμήματος ἐλάμβανον τὴν ψῆφον οἱ δικασταὶ, δεομένων ἡμῶν συγχωρῆσαι, οὐκ ἤθελεν· ἀλλὰ πεντεκαίδεκα ταλάντων ἐτιμᾶτο, ἵνα ἀτιμώσειεν αὐτὸν, καὶ τοὺς παῖδας τοὺς ἐκείνου, καὶ τὴν ἀδελφὴν τὴν ἐμὴν, καὶ ἡμᾶς ἅπαντας εἰς τὴν ἐσχάτην ἀπορίαν καταστήσειε, καὶ ἔνδειαν ἁπάντων. ἡ μὲν γὰρ οὐσία, οὐδὲ τριῶν ταλάντων πάνυ τι ἦν, ὥστε δυνηθῆναι ἐκτῖσαι τοσοῦτον ὄφλημα. μὴ ἐκτισθέντος δὲ τοῦ ὀφλήματος ἐπὶ τῆς ἐννάτης πρυτανείας, διπλοῦν ἔμελλεν ἔσεσθαι τὸ ὄφλημα, καὶ ἐγγραφήσεσθαι Ἀπολλόδωρος, τριάκοντα τάλαντα ὀφείλων τῷ δημοσίῳ.* » Verum postquam de litis aestimatione » suffragium inierunt judices, nobis supplicantibus in» dulgere noluit: sed quindecim talentis litem aestima» vit, ut ipsum infamia afficeret, et liberos ejus, et so» rorem meam, et nos omnes ad ultimam inopiam re» digeret, et penuriam omnium. Etenim patrimonium, » neque trium talentorum omnino erat, ut posset solvi

(1) Cf. tamen supra Cap. XXXIII. p. 187. sqq.

» tanta mulcta. Non solutâ vero mulctâ nono mense, du» pla erat futura mulcta, et inscribendus erat Apollodo» rus, tamquam triginta talenta debens rei publicae." Et hoc ipsum est quod ait Libanius Argument. Orat. Demosth. In Aristogit. I. p. 768. 11. Οὐκ ἀποδόντος δ' αὐτοῦ κατὰ τὴν ὡρισμένην προθεσμίαν, διπλοῦται τὰ ὀφλήματα κατὰ τὸν νόμον. » Non solvente autem eo intra terminum prae» scriptum, duplicatae sunt mulctae secundum legem." Quo et respicit Demosthenes In Theocrin. init. p. 1322.

Cumque illa duplicatione debiti, simul praescriptum erat *bona debitorum vendi*, καὶ τὰ κτήματα αὐτῶν πεπράσθαι· Andocides l. c. Ut inde scilicet debitum, idque duplicatum, recuperaretur. Si quid enim remaneret, i. e. si ex bonis illis venditis plus rediisset quam ad duplum debitum requireretur solvendum, reliquum hoc debitori, seu, ipso mortuo, ejus heredibus reddebatur: Demosthenes In Boeot. p. 1014. sq.

Quod nisi duplum id esset solutum: (nam si solutum erat, omnis porro cessabat poena, debitorque jam in integrum restituebatur:) sed nisi hoc factum esset, ab eo item tempore is *in carcerem poterat conjici:* Demosthenes In Timocrat. p. 738. 24. Cf. Idem ibid. p. 740. 1. In Androt. p. 603. 26: 610. 12. Neque tamen id necessario fiebat, sed sic demum si judex id insuper addidisset: προστίμημα ajebant, *poenae* quasi *accessionem*. Apparet hoc manifesto ex tota illa Demosthenea Oratione in Timocratem, v. c. p. 700. 16: 715. 11: 718. 11: 719. 18: in primis p. 725 et 729. Judicis erat, vincula jubere eave remittere.

Tum vero item leges jubebant debitorem *inscribi*, ἐγγράφεσθαι· Demosthenes In Neaer. p. 1347. 17.: idque ἐν σανίδι παρὰ τῇ θεῷ κειμένῃ· *in tabula juxta Minervae statuam posita*: Demosthenes In Aristog. I. p. 791. 11: i. e. *in arce*, ἐν ἀκροπόλει· ibid. p. 771. 6. Ἐγγεγραμμέ-

vos dicebantur *debitores* illi *inscripti*, ut notat Pollux VIII. 22, et sane ex multis omnino Oratorum locis apparet. Ἐγγραφὴν vocabant ipsam *inscriptionem*. Conf. et supra, Cap. II. not. 1. p. 11. — Ex qua inscriptione igitur demum publice legitimeque constabat debitum.

Quodsi quis falso et per calumniam in aerariis esset inscriptus, idque in judicio probaretur, ipsum quidem ἐξαλείφειν, *expungere*, *ejus nomen delere*, falsum accusatorem *in ipsius locum in tabulis inscribere*, ἀντεγγράφειν, eaedem jubebant leges: Demosthenes In Aristog. I. p. 792. 3.

Deleri non tantum inscriptionem istam, toto debito soluto: ibidem et *annotari*, jus erat, si quae pars debiti solveretur. Diserte Demosthenes In Theocrin. p. 1338. 8. ὃς (νόμος) ἀπαλείφειν (1) κελεύει τοὺς ἐγγεγραμμένους ἀπὸ τοῦ ὀφλήματος, καθ' ὅτι ἂν ἐκτίνῃ· » quae lex eradi ju» bet inscriptos a debito, ratione illius quod solvatur." Τὸν προσοφείλοντα vocabant, qui *parte debiti soluta*, *adhuc partim debitor remaneret:* itaque verbum usurpatur v. c. ibid. p. 1327. fin.

Verum et aliquando *debitum remittebatur:* seu *totum:* seu *partim*, i. e. pars ei detrahebatur populi scito, cujus rei exemplum fuit v. c. in Timotheo: Nepos Timoth. 3. Eoque, me quidem judice, respicit Demosthenes In Timocr. p. 715., ubi τάξεως nomine significari videtur ejusmodi *moderatio*, *compositio debiti*, quae opponitur ἀφέσει, toti remissioni, et tamen ὄφλημα ad modum quemdam remittit, partem ei detrahit. Ut neque Petiti L. A. p. 470, neque Reiskii in Not. ad Demosth. l. c., alia diversaque interpretatione, neque emendatione sit opus, et sensum loci melius perspexisse videatur Tay-

(1) Notandum discrimen inter ἐξαλείφειν et ἀπαλείφειν· prius totam debitoris expunctionem ex aerariorum tabulâ, alterum non notat nisi diminutionem debiti cujus nomine erat inscriptus.

lorus, cui ipse postea sese addixit Reiskius in Indice Demosth. Caeterum contra remissionem istiusmodi aut diminutionem debiti lege cautum erat: Demosthenes ibid. p. 716.: (Cap. XXIII. p. 160. descripsimus): ne scilicet rogaretur nisi praejudicio facto licentiaque rogandi a populo data: ibid. p. 715.

Quod si quis mortuus esset ὀφείλων τῷ δημοσίῳ, cum hereditate item debitum hoc, conjunctaque cum ipso ἀτιμία, ad *heredes* transibat. Primo loco ad *filium:* Demosthenes In Androt. p. 603 sq. In Timocr. p. 762. 23. Nepos Cimon. 1: ad *nepotem:* Demosthenes In Theocrin. p. 1326. fin. sq: ad *generum:* Id. In Aphob. II. p. 836. 18. Idque *necessario;* siquidem illi, legibus Atheniensium, necessarii erant heredes (1). Eo tamen nomine, i. e. *tamquam heredes*, fiebant ὀφείλοντες, itaque et ἄτιμοι. Unde nec prius id obtinebat quam *post patris obitum:* ex qua observatione pendet v. c. tota vis illius In Theocrinem Orationis, quam filius dixit aerarii: cf. in primis ibid. p. 1322. 10. Ut et Lysiae Oratio XX. p. 694. sqq. ab aerarii filiis habita est. Contra, ad *omnes* omnino, qui quidem accepissent, heredes transibat ἀτιμία· Demosthenes Adv. Macart. p. 1069. fin.

(1) Hinc filium τοῦ ὀφείλοντος adoptare nemini licebat; non magis quam illorum gravissimi generis facinorosorum, qui expresse cum posteris ἄτιμοι essent declarati: cf. supra Cap. V. p. 32. init. Quamquam dubitari possit, an item, ut ibi vidimus obtinuisse, ad adoptantem transierit ἀτιμία τοῦ ὀφείλοντος· i. e. donec debitum solutum esset. Ipsa adoptandi prohibitio haud dubio aderat. Indeque eos qui in periculo pecuniario versarentur seseque ex futuro judicio ἀτίμους fore praeviderent, ante hoc judicium saepe liberos suos in aliam familiam transmissise, ut sic paternam effugerent ignominiam, prodit diserte illud Isaeus De Aristarch. Hered. p. 266. fin. Ὅταν μὲν περὶ χρημάτων δυστυχῶσι, τοὺς σφετέρους αὐτῶν παῖδας εἰς ἑτέρους οἴκους εἰσποιοῦσιν, ἵνα μὴ μετάσχωσι τῆς τοῦ πατρὸς ἀτιμίας. Cf. et Meier De Bon. Damn. p. 136.

CAPUT XLIII.

Ἄτιμοι κατὰ προστάξεις· μέρος τοῦ σώματος. Interdictum iis varie: — dicere in populo: — in Senatu sedere: — γράψασθαι· ἐνδεῖξαι· aliis actionibus publicis: — navigare in Hellespontum: — in Ioniam: — in forum intrare. — Quibusnam qua re. — Falsa tripartita divisio τοῦ σώματος.

Jam ad eam igitur classem τῶν ἀτίμων pervenimus, quam ultimo recenset Andocides loco De Myster. p. 36. his verbis. Ἄλλοι αὖ κατὰ προστάξεις (1), οἵτινες οὐ παντάπασιν ἄτιμοι ἦσαν, ἀλλὰ μέρος τι αὐτῶν. οἷον οἱ στρατιῶται, οἷς, ὅτι ἐπέμειναν ἐπὶ τῶν τυράννων ἐν τῇ πόλει, τὰ μὲν ἄλλα ἦν, ἅπερ τοῖς ἄλλοις πολίταις, εἰπεῖν δ' ἐν τῷ δήμῳ οὐκ ἐξῆν αὐτοῖς, οὐδὲ βουλεῦσαι· τούτων ἦσαν οὗτοι ἄτιμοι· αὕτη γὰρ ἦν τούτοις πρόσταξις. ἑτέροις οὐκ ἦν γράψασθαι· τοῖς δὲ, ἐνδεῖξαι· τοῖς δὲ, μὴ ἀναπλεῦσαι εἰς Ἑλλήσποντον· ἄλλοις δ' εἰς Ἰωνίαν· τοῖς δ' εἰς τὴν ἀγορὰν μὴ εἰσιέναι πρόσταξις ἦν. » Alii rursus per mandata erant » ἄτιμοι, qui non prorsus erant ἄτιμοι, verum quadam » parte. Veluti milites, quibus, quod sub tyrannis (2)

(1) I. e. ἄτιμοι ἦσαν, quod hac ipsa pagina lin. 1. dixerat Andocides, nec h. l. repetit, sed subintelligit. Reiskius id observat in Nota, et sane res aperta est.

(2) Cap. II. p. 9 in not. vidimus hic significari *Quadringentos.* Quibus partim interfectis, partim abdicatis, libertateque restitutâ,

»in Urbe mansissent, reliqua quidem cum aliis civibus »erant communia, in populo vero dicere non licebat, »nec Senatui interesse: harum rerum illi erant ἄτιμοι· »hoc enim in ipsos mandatum erat. Aliis non licebat »actiones instituere publicas: aliis (non licebat) deferre:

non immerito, ut observat Meierus p. 132. fin. sq., hac dicendi et in Senatu sedendi licentiâ interdictum est militibus qui sub iis in Urbe remanserant; praesertim quum popularis ille impetus in primis esset profectus ab exercitu qui tum stabat ad Samum: cf. supra Cap. V. p. 29. sq. Exemplumque h. l. ab Andocide allatum pertinere videtur ad ea quae paullo post p. 37. ex ipso Patroclidis psephismate ab eo recitantur: *καὶ ὅσα ὀνόματα τῶν τετρακοσίων τινὸς ἐγγέγραπται, ἢ ἄλλο τι περὶ τῶν ἐν τῇ ὀλιγαρχίᾳ πραχθέντων ἐστί που γεγραμμένον·* »item quaecumque »nomina Quadringentorum alicujus inscripta sunt, vel aliud quid »alicubi scriptum est de rebus sub Oligarchia gestis:" unde conjicias probabiliter, cum alios, praeter hosce milites, fuisse quibus ob ea quae sub Quadringentis fecerant quaedam *ἀτιμία* sit irrogata: tum ipsos hos Quadringentos similiter *ἀτιμίᾳ* affectos. i. e. *κατὰ προστάξεις*. Hoc enim quum de *militibus* diserte ab Andocide affirmetur, et quidem *exempli caussa*, *οἷον·* idem et de caeteris obtinuisse illis, quamquam neque h. l., neque alibi, quantum scio, de eo prodatur, attamen haud temere statuas. Nam quod distincte memorantur cum aliae *ἀτιμίας* caussae, tum *προστάξεις*, tum vero demum et seorsim haec referuntur verba quae modo attulimus: (cf. supra Cap. II. p. 11. sqq., ubi integer appositus est Andocidis locus:) ita explicandum est, illos primum recensitos singulos singulis poenis, iisque pro re diversis, punitos, at vero Quadringentos eorumque asseclas simul omnes uno decreto castigationeque comprehensos. Nonnullos horum Quadringentorum, tamquam proditores, mortis damnatos fuisse, res est notissima, de eaque supra Cap. V. p. 29. sqq. fusius exposuimus. Et in alios eorum gravius animadversum esse videtur. Ad reliquos omnes putem pertinere allata psephismatis verba: quos ab accusatione graviori absolutos esse, et in Urbe postea habitasse, certo constat ex illa Lysiae Oratione XX, pro uno eorum Polystrato habita; quos ipsos tamen verosimile est haud minori *ἀτιμίᾳ* punitos, quam milites qui solummodo in Urbe remanserant.

» his vero, non navigare in Hellespontum: illis, in Io-
» niam: illis rursus in forum non intrare mandatum
» erat." Idem illud ex ipso Patroclidis psephismate repetens p. 37, uno notat verbo Andocides lin. 7: ἢ προςάξεις τινές εἰσι κατεγνωσμέναι· » vel προςάξεις quaedam » sint condemnatae."

Πρόςαξιν cum ex grammatica ratione notissimum est, tum ex Scriptorum usu, simpliciter esse *jussum*, *mandatum*. Et apud Atticos subinde ita usurpatur, et τὴν πρόςαξιν ποιεῖσθαι apud Lysiam II. p. 190. ponitur pro *jubere*. Licet ergo non alibi norim ἀτίμους κατὰ προςάξεις memorari: illud in promptu est, quid sibi his velit verbis Andocides. Ipse declarat, exemplis subpositis: neque hic πρόςαξις aliam habet, nisi vulgarem istam significationem, *mandatum*, *jussum*, i. e. populi, seu judicum partes populi sustinentium. Ἄτιμοι κατὰ προςάξεις, *secundum populi jussa*, *scita*, i. e. ἄτιμοι *in quantum populus scivit*, *in quantum populus eos juribus privavit communibus*. — Notandum, ex loco illo p. 37, quamvis obscuro, et forte corrupto, hoc saltem videri, locutionem eam non ab Andocide tantum illustrandi caussa adhibitam, sed in ipso Patroclidis populiscito fuisse positam.

Quod ait Andocides p. 36. μέρος τι αὐτῶν, idque manifeste opponit priori παντάπασιν· ergo non, ut saepius alibi, reddendum est *partim eorum*, *partim hominum ejusmodi*, sed *partim hominis cujuscumque ea conditione versantis*. Non is erat ἄτιμος παντάπασιν, καθάπαξ· ut aliis hoc locis exprimitur, (cf. supra Cap. II. p. 14. et Cap. III. p. 21.): sed μέρος τοῦ σώματος, qua dictione, (ut ibidem vidimus,) utitur Demosthenes De Coron. Trirarch. p. 1231. 21.

Rem deinceps explanat Andocides exemplisque illustrat. Et primum quidem de militibus qui in Urbe sub

Quadringentis remanserant, sic ait, iis alia eadem omnia quae reliquis civibus fuisse jura, non iis item licuisse *dicere ad populum*, εἰπεῖν ἐν τῷ δήμῳ, neque *in Senatu sedere*, βουλεῦσαι.

Εἰπεῖν illud et per se perspicuum est, et saepe ita usurpatur. Saepius etiam idem audit δημηγορεῖν· veluti Æschini In Timarch. init. et p. 54: ἀγορεύειν· ibid. γνώμην εἴπειν, λέγειν· p. 44, 46: λέγειν ἐν τῷ δήμῳ· ibid. p. 54., Demostheni In Aristogit. I. p. 779, (Cf. supra p. 243. init.) Apud hunc quidem De Coron. p. 286. 4: In Androt. p. 598. 15: 602. 23: ea in re per partes distinguitur, et junguntur λέγειν καὶ γράφειν· i. e. γράφειν νόμους καὶ ψηφίσματα, *scripto proponere leges et populiscita:* quo sensu et γράφειν est In Timocrat. p. 722. 2. aliisque pluribus locis. Idque jus ad populum dicendi, παῤῥησία nuncupatur eidem In Aristogit. I. p. 778. 12. In Theocrin. p. 1343. 19. Qui eo privati sunt, eos ἡσυχίαν ἔχειν ait ibid. p. 1341. 5: ἡσυχίαν ἄγειν, p. 1343. 21. Cujusmodi interdictionem, eamque quinque annorum, memorat idem Demosthenes In Aristogit. I. p. 783.

Hinc illa δοκιμασία τῶν ῥητόρων, *recensio Oratorum:* de qua classicus est locus Æschinis In Timarch. p. 54., jam supra Cap. XXI. p. 151. partim a nobis citatus, quemque hic integrum videtur describi oportere. Ἄν τις λέγῃ ἐν τῷ δήμῳ, τὸν πατέρα τύπτων ἢ τὴν μητέρα, ἢ μὴ τρέφων, ἢ μὴ παρέχων οἴκησιν, ἢ τὰς ϛρατείας μὴ ἐϛρατευμένος ὅσαι ἂν αὐτῷ προϛαχθῶσιν, ἢ τὴν ἀσπίδα ἀποβεβληκὼς, ἢ πεπορνευμένος, ἢ ἡταιρηκὼς, ἢ τὰ πατρῷα κατεδηδοκὼς ἢ ὧν ἂν κληρονόμος γένηται, δοκιμασίαν ἐπαγγειλάτω Ἀθηναίων ὁ βουλόμενος οἷς ἔξεϛιν. »Si quis dicat in populo, qui patrem »verberavit matremve, vel non aluit, vel (ipsis) domum »non praebuit, vel qui militias non militavit quae sibi »imperatae fuerint, vel qui scutum abjecit, vel scorta»tor, vel stuprator, vel qui paterna consumsit aut quo-

» rum sit heres factus, examen (ipsius) provocet Athe» niensium quisquis velit ex iis quibus licet.” Cui loco adjungendus est ille Demosthenis In Aristogit. I. p. 779, alibi a nobis descriptus (Cap. II. in fin. p. 15.): qui quamquam non eamdem videri possit habere auctoritatem, neque profecto legis ipsa referat verba, multum tamen valet ad priorem supplendum et illustrandum. Age nunc conjunctim utrumque hic nobis ante oculos ponamus.

Primum igitur Æschines memorat ejusmodi, qui aut parentes male habuissent, aut in leges deliquissent de militia latas. *Omnemque* ab ipso significari *κάκωσιν γονέων*, de qua Cap. XXI. exposuimus: *omnia militaria delicta*, de quibus diximus Capp. XII—XVIII.; hoc quidem, puto, nullum habet dubium. Quin Æschines sive partem duntaxat legis recitaverit, seu lex ipsa non plura habuerit, certe utrosque illos non nisi exempli caussa nominatos, aliisque etiam ejusdem generis omnibus, i. e. *omnibus* omnino *καθάπαξ ἀτίμοις*, interdictum fuisse ad populum dicere: cum per se id manifestum videatur, tum diserte proditur a Demosthene. — Idem ab hoc affirmatur de *aerariis*, *ὀφείλουσι τῷ δημοσίῳ·* quod et ipsum ex iis sequi statuas quae suo de hisce prodidimus loco.

Verum alius praeterea ab Æschine nuncupantur generis, *ἢ πεπορνευμένος, ἢ ἡταιρηκὼς* (1), *ἢ τὰ πατρῷα κατεδηδοκὼς ἢ ὧν ἂν κληρονόμος γένηται·* » vel scortator, vel » stuprator, vel qui bona consumsit paterna aut quorum » quidem haeres sit factus.” Quales homines nullibi proditum scimus *ἀτιμίᾳ ὁλοκλήρῳ* fuisse notatos: neque igitur, quum in eo versaremur loco, de iis exposuimus. Hoc solummodo Demosthenes In Androt. p. 602, 23.

(1) Haec ita differunt, explicante eodem Æschine ib. p. 76 et 78, ut utrumque fiat quidem *mercede*, *ἡταιρηκέναι* vero dicatur *ὁ πρὸς ἕνα τοῦτο πράττων* et vero *πεπορνευμένος, ὁ εἰκῆ τοῦτο καὶ πρὸς πολλοὺς πράττων*. Cf. et nota proxime sequens.

Solonem jussisse ait, *μήτε λέγειν μήτε γράφειν ἐξεῖναι τοῖς ἡταιρηκόσιν*, » neque dicere neque actiones publicas in» stituere licere stupratoribus." Et vero ipse Æschines d. l. p. 55, hujus quidem legis rationem addit: *τὸν γὰρ τὸ σῶμα τὸ ἑαυτοῦ ἐφ' ὕβρει πεπρακότα, καὶ τὰ κοινὰ τὰ τῆς πόλεως ῥᾳδίως ἡγήσατο ἀποδώσεσθαι·* » Corpus enim » sui ipsius ad dehonestandum qui vendidit, commu» nia quoque civitatis facile eum putavit (Solon) proditu» rum (1)." Et illius de prodigo: *τὸν γὰρ τὴν ἰδίαν οἰκίαν κακῶς οἰκήσαντα, καὶ τὰ κοινὰ τῆς πόλεως παραπλησίως ἡγήσατο διαθήσειν·* » propriam enim domum qui » male administrat, item communia civitatis similiter (eum) » putavit tractaturum." Horum utrumque ad eum duntaxat qui rem attigit publicam, minime ad privatum civem pertinet. Ut et Diogenes Laërtius Solon. I. s. 55, hoc restrictiori sensu, i. e. *κατὰ πρόςαξιν*, *paternorum consumtorem bonorum*, *τὸν τὰ πατρῷα κατεδηδοκότα*, eum dixerit *ἄτιμον*, certe dixisse debuerit. Idque eo magis Laërtium voluisse verisimile est, siquidem accurate ipse ibidem prodidit de *impudico*, Solonem *τὸν ἡταιρηκότα εἴργειν τοῦ βήματος*, *arcere a suggestu*. Quam nostram interpretationem confirmat Anonymus in Arg. Or. Demosth. De Fals. Leg. p. 338. 23. *Νόμος ἦν, τὸν ἡταιρηκότα μὴ πολιτεύεσθαι.* » Lex erat, impudicum publica non trac» tare." Apposite Dinarchus In Demosth. p. 51. *Τοὺς μὲν νόμους προλέγειν τῷ ῥήτορι καὶ τῷ ςρατηγῷ τὴν παρὰ τοῦ δήμου πίςιν ἀξιοῦντι λαμβάνειν, παιδοποιεῖσθαι κατὰ τοὺς νόμους, γῆν ἐντὸς ὅρων κεκτῆσθαι, πάσας τὰς δικαίας πίστεις παρακαταθέμενον οὕτως ἀξιοῦν προεςάναι τοῦ δήμου.*

(1) Ex hac Æschinis interpretatione manifestum videatur quonam modo, in ea quidem lege, intelligi oporteat *τὸν ἡταιρηκότα*, non universe scilicet, cum Aldobrandino et Meursio, *scortatorem*, sed proprie magis, cum Menagio, *muliebria passum*. Romani dicebant *impudicum*.

»Leges quidem praecipere oratori et praetori fidem apud »populum habere cupienti, liberos procreare secundum »leges, agrum intra fines (imperii) possidere, omnes »justas fides quum praestiterit sic (demum) cupere praeesse »populo." Ubi *leges* ita memorari putem a Dinarcho, non quasi ipsa illa praeciperent, sed quod ex iis quae vetarentur, satis intelligi posset non nisi honeste viventes quique integrâ fortunâ essent, apud populum commendari sive ad oratoris sive ad praetoris munus. Neque enim, ut totus is locus indicat, similis accuratae citationis ibidem aderat necessitas. Neque de solo oratore, de praetore quoque, duce militari, τοῦ ϛρατηγοῦ, loquitur Dinarchus; ut et hinc repeti possit illa magis generalis enunciatio, ad utrumque fortasse quodammodo accommodata: fortasse, inquam, nam certo statuere non possumus, quando alterius solum harum δοκιμασίων verba novimus legitima. *Oratores* quidem *publicos*, τοὺς ῥήτορας πολιτευομένους, diserte *privatis*, ἰδιώταις, ἀπράγμοσιν, opponit Demosthenes Philipp. IV. p. 150. Ejusdemque De Fals. Leg. p. 373. luculentus est locus hujusmodi: Οὐδένα γὰρ τὰ κοινὰ πράττειν ὑμεῖς κελεύετε ἢ ἀναγκάζετε, ἀλλ᾽ ἐπειδάν τις ἑαυτὸν πείσας δύνασθαι προσέλθῃ, πρᾶγμα ποιοῦντες ἀνθρώπων χρηϛῶν καὶ φιλανθρώπων, εὐνοϊκῶς δέχεσθε, καὶ οὐ φθονερῶς. »Neminem enim publica tractare vos »jubetis aut cogitis, sed postquam quis seipsum persu»adens (sese) posse (iis) accesserit, rem facientes ho»minum benevolorum et humanorum, benigne (eum) »recipitis et non invidiose." Haud minus, quantum genus illud attinet primo loco memoratum, ad rem faciunt illa Æschinis In Timarch. p. 183. fin. sqq. Τοὺς μὲν εἰς τὰ σώματα ἡμαρτηκότας μὴ ὑμῖν ἐνοχλεῖν, ἀλλὰ παύσασθαι δημηγοροῦντας κελεύετε· οὐδὲ γὰρ ὁ νόμος τοὺς ἰδιωτεύοντας, ἀλλὰ τοὺς πολιτευομένους ἐξετάζει. »Eos quidem qui in »corpora (ipsi sua) peccaverint non vobis turbam move-

» re, sed abstinere a concionando jubetis; non enim lex » privatos, sed rempublicam attingentes examinat." Quo restrictiori eodem sensu, et de hac ipsa *ἀτιμίᾳ κατὰ πρόσταξιν*, itaque et intelligendus est Demosthenes De Fals. Leg. p. 432. 17, ubi hoc judicium significans et ab Æschine accusatum damnatumque Timarchum, sic simpliciter ait: *ὁ μὲν ταλαίπωρος ἄνθρωπος ἠτίμωται*. Cf. ibid. p. 423. 17.

Caeterum ex Æschine ib. p. 40. dubitari possit an puer, quem pater tutorve prostituisset mercede adeoque in leges *ἑκμισθώσεως, προαγωγείας, ὕβρεως*, is incurrisset, an ipse puer, qui caeterum nullam subibat poenam, non tamen *licentiâ dicendi ad populum, τῇ παῤῥησίᾳ*, fuerit privatus. Sic locum Reiskius explicat. Aliter equidem accipiam, illudque *ἀφαιρεῖσθαι τοῦ παιδὸς τὴν παῤῥησίαν* ita putem intelligendum, ut pater hanc filio *παῤῥησίαν* non indistincte auferat, sed auferat quantum in se sit, i. e. si puer, in civium album relatus, flagitiose vivere perrexerit. Cf. supra Cap. XXI. p. 156.

Addit Demosthenes: *τοῖς ἀποδεδοκιμασμένοις, ἄρχειν λαχοῦσιν· iis, qui sortiti munus, improbati sunt. Δοκιμασίαν* illam spectabimus Capite. XLV. Illud tantummodo animadvertamus ex Demosthenis eo loco perspicuum esse: (quod aliunde constare non novimus): civibus, inquam, quibus sors quemdam obtulisset magistratum, sed qui in muneris hujus obeundi examine succubuissent, hisce, quamquam nullâ caeterum poenâ, neque etiam *ἀτιμίᾳ*, affectis, porro tamen non licuisse ad populum dicere.

Idemque Demosthenis locus et alio nomine hic notandus est. Inde enim apparet, dicere ad populum, *λέγειν*, iis quoque interdictum fuisse, *ὧν ὁ δῆμος ἀπέκτεινε τοὺς πατέρας, quorum populus occidit patres*. Non intelligendum illud esse de causis duntaxat ejusmodi quae parentum *ἀτιμίαν* ad liberos transferrent, verum ad omnium

omnino, nulloque caussae discrimine, pertinere mortis damnatorum liberos: manifestum id quidem nobis videtur ex ejusdem posterioribus Demosthenis verbis p. 790, ubi rationem reddit legis hujusce, eamque ex ipsa illa mortis damnatione unice repetit. De qua lege quum alibi, quantum scio, non prodatur: nisi quod forte eo respiciat Antiphon Orat. III. p. 636; ergo ad solam *dicendi*, *τοῦ λέγειν*, interdictionem restringam: eoque magis, quo alienior, ut pluribus vidimus exemplis, a jure Attico fuerit, in genere quidem, paternae ignominiae ad filios translatio (1).

Quod a Demosthene dicitur ab initio: *τοῖς βιαζομένοις* — *ἢ τοῖς ἐκ τοῦ δεσμωτηρίου*· tum in fine: *τοῖς πονηροτάτοις, καὶ οὖσι, καὶ δοκοῦσι*· ea quidem, licet in lege certissime non scripta fuerint, per se manifesta putem neque minimam praebere difficultatem. — *Vi agentibus*, *τοῖς βιαζομένοις*, (cf. supra Cap. XXXIX.), vetitum fuisse verba facere ad populum: idem prohibitum *e carcere elapsis*, *τοῖς ἐκ τοῦ δεσμωτηρίου*· neutrum horum existimem explicatione quaquam indigere. — *Τοῖς πονηροτάτοις, καὶ οὖσι, καὶ δοκοῦσι*, hisce verbis, ad finem sententiae ita positis, non contineri perspicuum est nisi oratoriam quamdam appendiculam, qua omnes istos, quos singillatim enumeravit, homines, ad pessimum, *quod cum videatur, tum revera sit*, genus pertinere significet.

Una restat caussa, neque illa Demostheni, neque Æschini, locis quidem illis primariis, enumerata, quae libertatem ad populum dicendi itidem ademerit. Sic enim Demosthenes De Coron. Trierarch. p. 1231. 20. prodit jus esse: *τὸν μὲν εἰπόντα τι μὴ κατὰ τοὺς νόμους, ἐὰν*

(1) Ita recte hunc locum explicitum putem, obviamque itum dubio quod Wachsmuthius Hell. Alterth. II. 1. p. 246. not. 36. b. sibi mansisse testatur post explicationem Meieri De Bon. Damn. p. 135. sq., minus illam profecto accuratam.

ἀλῷ, τὸ τρίτον μέρος ἠτιμῶσθαι τοῦ σώματος. De cujus sensu loci, jam ab initio hujus commentationis, Cap. III. p. 21, allati, quum diu haesissem dubius, acquievi tandem in illa Meieri De Bon. Damnat. p. 130. not. 435. lenissima emendatione, versus finem aliter eum interpungentis, legentisque: ἐὰν ἀλῷ τὸ τρίτον, μέρος ἀτιμοῦσθαι τοῦ σώματος· »si tertio damnetur, partem infamari »corporis." Hanc enim emendationem non modo apposite illustrat ipse Meierus ex Athenaeo X. p. 451. A: (quoquo modo ibidem legatur, de quo non pronuncio). Haud minus eam confirmari putem ex iis quae supra vidimus, apud Athenienses et aliis multis in caussis poenam novam in eum qui *ter* peccasset statutam fuisse: cff. Capp. XIX, XX, XXXI. Ut profecto late patuit apud Veteres vis illius numeri ternarii. Accedit, quod tum Demosthenem eadem deprehendimus ratione locutum qua Andocidem, de hisce ἀτίμοις κατὰ προστάξεις ita ajentem, De Myster. p. 36, eos non penitus ἀτίμους fuisse, ἀλλὰ μέρος τι αὐτῶν. Et vero aliunde constat, delictum τοῦ εἰπόντος τι μὴ κατὰ τοὺς νόμους, *dicentis quid non secundum leges*, i. e. παρανόμων, hujus igitur delicti fuisse ἀγῶνα τιμητὸν, i. e. poenam ipsius arbitrariam: eamque litem saepius solâ pecuniâ aestimatam: cf. Boeckhius Staatsh. der Ath. I. p. 411. Ergo nec propterea lectio ferri potest vulgata. — Quod autem ex Plutarcho vidimus Capite proxime superiori, p. 242, Demadem oratorem septies deinceps istiusmodi judicio damnatum pecunia fuisse; non est quod eam narrationem neque hoc nomine cum Meiero (l. c. not.) falsam judicemus: potius statuamus, (cujusmodi negligentiae in jure Attico plura adsunt exempla,) Demade tertio damnato, non rogatam neque ei irrogatam fuisse poenam alteram, legitimam, i. e. eam ipsam de qua praesenti exponimus loco, *ademtionem*, inquam, *juris ad populum dicendi*. — Hanc enim poe-

nam, cum Hermanno Lehrbuch § 132 n. 8, omninò statuimus jussam fuisse in eum qui tertia vice damnaretur παρανόμων.

Ad partem illius Andocideae periodus alteram, *in Senatu sedere*, βουλεῦσαι, erat quum referrem verba Demosthenis De Rhodior. libert. p. 200. med: Χρὴ τοίνυν καὶ τοὺς τὴν ὑπὸ τῶν προγόνων τάξιν ἐν τῇ πολιτείᾳ παραδεδομένην λειπόντας, καὶ πολιτευομένους ὀλιγαρχικῶς, ἀτίμους τοῦ συμβουλεύειν ὑμῖν ποιεῖσθαι· eaque sic vertenda putarem: » Oportet igitur et eos qui ordinem a majori» bus in re publica traditum relinquunt, et oligarchice » eam gerunt, hos exsortes facere *vobiscum in Senatu » sedendi*." Sed accuratior loci inspectio me docuit, minime de Senatu, contra de *concione populi*, ἐκκλησίᾳ, et hoc accipiendum esse; quippe quum ad concionem istam, ad populum Atheniensium, Orator verba faceret. At vero, quibus interdictum erat hac παῤῥησίᾳ, minus etiam ipsos in Senatu sedere potuisse, perspicuum illud est. Senatores quippe novimus ex tribubus quidem sorte electos, neque tamen ad muneris admissos esse jusjurandum, nisi probatos ἐν δοκιμασίᾳ, *in examine*: qua in re versatur Lysiae Oratio XXXI, In Philonem. Et in ipso muneris anno a collegis Senatoribus *ejici* poterant: ἐκφυλλοφορία nomen erat huic ejectioni: Æschines In Timarch. p. 129. sq: quae postea tamen judicio erat probanda: Idem ibid. (1). Andocidi caeterum plane convenit cum eodem Æschine p. 44. Ἄν τις Ἀθηναίων ἑταιρήσῃ, — μηδὲ γνώμην εἰπάτω μηδέποτε, μήτε ἐν τῷ δήμῳ, μήτε ἐν τῇ βουλῇ. » Si quis Atheniensium impu» dicus fuerit, — neve sententiam dicat omnino, neque » in populo, *neque in Senatu*."

Pergit jam Andocides: ἑτέροις οὐκ ἦν γράψασθαι· τοῖς δὲ, ἐν-

(1) De hac ἐκφυλλοφορίᾳ cf. Van Osenbruggen, De Senatu Atheniensium p. 12 sqq., ibique citati.

δεῖξαι· » aliis non licebat γραφὰς, aliis ἐνδείξεις instituere." Quid fuerit Athenis γραφή, supra Cap. XL. exposuimus: (cf. h. l. et Demosthenes In Nicostrat. init. p. 1246:) quid ἔνδειξις, in notis illud indicavimus Cap. XLI. pp. 233 et 236. Genus hoc utrumque »ab Andocide exempli » tantum caussa nominatum, quum addere et reliquas » posset publicas actiones, non dubitare sese," ait Meierus De Bon. Damnat. p. 133. Et sane ei libenter assentior. Sic v. c. qui ἀπογράφεσθαι, *bona a quoquam possessa aerario publico vindicari*, falso jussisset, indeque lite ipsi mota damnatus esset; is mulctabatur non tantum quadruplo rei falso indicatae: jure praeterea jubendi ἀπογραφὴν, *confiscationem*, ejusmodi, quod jus cuiquam erat civi, ipse in posterum privabatur. Loci etenim paullulum obscuri, qui est apud Demosthenem In Nicostrat. init. p. 1246, hanc meliorem judicamus interpretationem (1). Illaque Meieri doctrina, interdictionem Andocidi memoratam ad cujusque modi publicum judicium referentis, tacite ea et ab Hermanno Lehrbuch § 144. probata, cum rei quidem videtur conveniens, tum diserte confirmatur a Polluce VIII. s. 53.: Lexico Rhetorico post Phot. Pors. p. 677; quippe qui grammatici solam hic actionum publicarum excipiunt εἰσαγγελίαν. Qualem ἀτιμίαν κατὰ πρόςταξιν qua cui hac illave actione interdicatur publicâ, ei fuisse irrogatam, qui ejusdem generis actionem vel inchoatam non esset persecutus, vel persecutus quidem, quintam suffragiorum partem non tulisset: eamque poenam distinctam fuisse a mulcta pecuniaria, ἐπιβολῇ, de qua exposuimus Cap. XLI.: et hoc item Meierus probabiliter disputat d. l., eique haud dubitantur assentitur Hermannus. Expressis quidem verbis Harpocration v. δώρων γραφή·

(1) Similiter postea vidi hunc locum explicatum a Meiero p. 209. n. 167.

Ἰστέον, ὅτι ἐάν τις γραψάμενος μὴ μεταλάβῃ τὸ πέμπτον μέρος τῶν ψήφων, ὀφλισκάνει χιλίας, καὶ πρόσεστιν ἀτιμία τις. »Sciendum, quod si quis accusationem publicam »instituens non tulerit quintam partem suffragiorum, »debet mille drachmas, et insuper adest infamia quae»dam." Locaque ea modo citata Pollucis et Lexici Rhetorici confirmant, ἀτιμίαν tum quamdam irrogatam fuisse, idque insuper et praeter ἐπιβολήν· quam, ut suo loco vidimus, qui non solvisset, tamdiu is ὀφείλων τῷ δημοσίῳ, adeoque ἄτιμος erat: quamque propterea diu fuit quod, male profecto, cum priori illâ confunderem, ipsamque eam ἀτιμίας nomine ab Harpocratione significatam putarem. Sed antea satis habuimus de ἐπιβολῇ ejusque sequelis. Ἀτιμίαν illam, actori qui destitisset, aut ne quintam suffragiorum partem tulisset, statim et ab initio impositam, Harpocration et Pollux simpliciter enunciant: qualis fuerit, ne indicant quidem. Meierus, dixi, statuit ejusmodi fuisse, ut eidem actori idem accusationis genus instituere amplius non licuerit. Cum eo sentit Heffterus, Athen. Gerichtsverfass. p. 130. Quod ut et mihi vero videtur simile, sic Meierum, qui copiosius hoc tractat, duo tamen loca neglexisse putem quae plurimum faciunt ad ipsius confirmandam doctrinam: Demosthenis, ajo, illum modo citatum In Nicostrat. init. p. 1246: tum Lexici Rhetorici post Phot. Pors. p. 677, quem itidem citavimus, nunc jam, post Hermannum, quia rem inprimis illustrat, partim describemus. Πρόστιμον ἔκειτο τῷ μὴ μεταλαβόντι τὸ πέμπτον μέρος τῶν ψήφων. — ἐν δὲ τοῖς δημοσίοις ἀγῶσιν ἐζημιοῦντο πρῶτον πρὸς ἀτιμίαν, ὥςτε μὴ ἐξεῖναι μήτε γράψασθαι παρανόμων, μήτε φαίνειν, μήτε ὑφηγεῖσθαι· ἐὰν γραψάμενος μὴ ἐπεξέλθῃ, ὁμοίως. »Mulcta »manebat eum qui non tulisset quintam partem suffra»giorum. — In publicis vero judiciis puniebantur pri»mum quoad infamiam, ut non liceret neque γραφὰς πα-

»*φαινόμενον*, neque *φάσεις* (1), neque *ὑφηγήσεις* (2) instituere: sin quis judicium institutum non persequeretur, similiter."

Τοῖς δὲ, μὴ ἀναπλεῦσαι εἰς Ἑλλήσποντον ἄλλοις δ' εἰς Ἰωνίαν — πρόσταξις ἦν. »Illis vero, non navigare in Hellespontum, aliis vero in Ioniam, jussum erat." Haec sunt quae apud Andocidem proxime sequuntur. — Quodsi in omni quidem loco de infamia *κατὰ προστάξεις*, cum Meiero p. 131. »magnopere doleo, de hoc infamiae genere nihil »fere apud auctores reperiri quod verbis Andocidis facem »quasi praeferre possit:" ipsiusque Meieri studium in ea investigatione jam plus semel fuit quod lubentissime laudaverim: nunc autem virum diligentissimum, praesens interdictum sive ad *nautas qui saepius naufragia fecissent*, sive ad eos *qui socios vexassent*, referentem, in utraque hac conjectura a vero putem aberrasse. Neque est quod de sententia decedam quam diu habui et ab initio, ad *fraudatores* id pertinuisse *vectigalium*. Ipsa hoc rei suadere videtur natura. Eoque referendum quod ait Xenophon Hist. Gr. I. 7. § 1. *Κατηγόρει ἐν δικαστηρίῳ, φάσκων, ἐξ Ἑλλησπόντου αὐτὸν ἔχειν χρήματα, ὄντα τοῦ δήμου.* »Accusavit in judicio, ajens, ex Hellesponto eum habere pecunias, quae essent populi." Et vero appositum in primis est leges citasse Romanorum, quae, ut universe tantopere, ita hac in parte a legibus totae pendent illae Atheniensium, similiterque in simili caussa statuerunt. Cf. Ulpianus L. 9. § 9. D. de Poenis. »Sunt autem et aliae poenae: si negociatione quis abstinere jubeatur:" ibid. § 10. pr. »In-

(1) *Φάσις* quaenam fuerit, vid. supra Cap. XLI. p. 234. not.

(2) *Ὑφήγησις*, *delatio* cujusdam generis: quae utrum eadem fuerit quae *ἐφήγησις*, an ab hac diversa, viri docti dissentiunt. Cff. Meierus de Bonis Damnat. p. 214. not. 190. Hermann Lehrbuch § 137. n. 4. ab eoque citati.

» terdici autem negociatione plerumque vel negociatio-
» nibus solet (1)."

Τοῖς δ᾽ εἰς τὴν ἀγορὰν μὴ εἰσιέναι πρόσταξις ἦν. » His vero » in forum non intrare jussum erat." Ultima jam ea sunt Andocidis verba. Quae ab eruditorum nemine illustrata novimus: ipseque Meierus, quamquam, ut vidimus, satis caeterum prolixus conjecturisque adeo indulgens, hic tacet omnimodo. Interpretationem tamen quamdam addere oportet: quo magis varie *ἀγορὰ*, ut Latine *forum*, et universe quidem dupliciter, usurpatur, vel de loco ubi merces vendunt et ubi negociantur, vel de concione populi et judiciis (2). — Et posteriori quidem significatione, res nota est, apud vetustiores scriptores frequenter dici et in rebus Graecorum enarrandis antiquissimis. Sic et de legibus Atheniensium patriis scriptum est apud Demosthenem In Androt. p. 617. fin., ubi *ἀγορὰ* reddenda est *concio*. Eodem accipienda sensu est apud Lysiam In Andoc. p. 222. Similiter Æschines In Timarch. p. 47. legis meminit, cum alia de impudico jubentis, tum haec vetantis: *μηδ᾽ ἐντὸς τῶν τῆς ἀγορᾶς περιῤῥαντηρίων πορευέσθω·* » neque intra concionis vasa lustralia in- » tret:" idemque In Ctesiph. p. 566: Ὁ *νομοθέτης τὸν ἀςράτευτον, καὶ τὸν δειλὸν, καὶ τὸν λιπόντα τὴν τάξιν, ἔξω τῶν περιῤῥαντηρίων τῆς ἀγορᾶς ἐξείργει, καὶ οὐκ ἐᾷ ςεφανοῦσθαι, οὐδὲ εἰσιέναι εἰς τὰ ἱερὰ τὰ δημοτελῆ.* » Legis- » lator detrectatorem militiae, et ignavum, et qui ordinem » deseruit, extra vasa lustralia concionis (eum) arcet, et

(1) Et hac interpretatione satisfactum existimo dubiis Wachsmuthii Hell. Alth. II. 1. p. 248, miras pronunciantis illas navigandi interdictiones, neque caeterum de earum caussis exponentis, nisi quod referat ad ultimos belli Peloponnesiaci annos oligarchicamque tum obtinentem rei publicae formam.

(2) De duplici significatione *τῆς ἀγορᾶς* aliquid dedit Wyttenbachius Ad Selecta Princ. Histor. p. 371. ed. 3a.

» non sinit coronari, neque intrare in templa publica." Et hujus quidem loci ultima quoque verba, prioribus juncta cumque iis cohaerentia, illud confirmant, de civilibus agi juribus populique concione. Utroque autem loco quod memorentur περιῤῥαντήρια, *vasa lustralia*, inde in primis conficitur ad concionem hoc pertinere, cujus erat lustratio ejusmodi: (de qua conferri potest Lucianus de Sacrificiis c. 13, T. 1. p. 536: *lustratumque* id *spatium* κάθαρμα vocat Aristophanes Acharn. v. 44.) De publicis nimirum ibi sermo est accusationibus, γραφαῖς. Quod ea, quae ex Oratione In Ctesiphontem adduximus, satis per se probant. Apud Æschinem In Timarchum: (idque et de Demosthene In Androtionem veri est simile): sed apud Æschinem d. l. haud dubio significatur γραφὴ ἑταιρήσεως, ut cum ex summa patet ejus veluti descriptionis, tum ex poena adjecta mortis, si contra quis faciat, tum ex loco ejusdem Orationis paullum anteriori p. 39. sq., ubi γραφῆς ejus diserta fit mentio. Igitur *interdictione concionis* ibi significatur ἀτιμία ejusmodi, qua omnes cujusvis generis γραφῆς damnatos vidimus supra Cap. XL. fuisse afflictos. — Sed Athenis postea et Oratorum tempore, eo sensu, de populi congregatione, non ἀγορὰν dicebant, semper ἐκκλησίαν· quae vox, huic rei propria, atque solennis, apud Oratores illos legitur saepissime. Deque ipsa illa, de qua modo monuimus, *lustratione*, igitur τὴν ἐκκλησίαν καθαίρειν usurpat Æschines De Fals. Legat. p. 323. Veteri nomine ἀγορᾷ sic nude non amplius, neque eo utebantur ut populi *universi*, contra non nisi ut *partis* significarent ejusdem *certique generis* coetum, qualem tum, ipsa hac parte genereve notato, definiebant. Id est quod vere observat Hermannus, Lehrbuch § 128. not. 1, Æschinem citans In Ctesiph. p. 421, ubi sic est ἀγορὰ τῶν φυλῶν, *concio tribuum*. Addi potest aliud exemplum Demosthenis Adv.

Leocharem p. 1091. 17, ἀρχόντων ἀγορὰν memorantis, i. e. *coetum, tribunal, Archontum.* Ἀγορὰ, simpliciter et sine adjectione positum, apud Atticos cum legitur frequentissime, tum semper est forum *ubi res venales prostant negotiaque aguntur pecuniaria.* Ita et accipiendum est apud Æschinem de Fals. Leg. p. 314: οὐ καθαρὸς ὢν τὰς χεῖρας, εἰς τὴν ἀγορὰν ἐμβάλλεις· ubi impudentia notatur hominis, qui, quum modo alium interfecisset, »manus non habens puras, in forum et viam publicam »prodiret (1)." Similis admodum est locus Demosthenis In Timocrat. p. 719. 23: ibidemque p. 732. 20. et sic dicitur εἰς τὴν ἀγορὰν ἐμβάλλειν. Idem Demosthenes De Coron. p. 269. 19. περίτριμμα ἀγορᾶς vocat *hominem circumforaneum, qui in foro conteritur et plateis.* Adv. Eubulid. p. 1308: Οὐκ ἔξεστι ξένῳ ἐν τῇ ἀγορᾷ ἐργάζεσθαι· »Non licet peregrino in foro negotia facere:" valde id appositum nostro Andocidis loco, ubi ipsâ hac in foro negotiatione interdictum aliquando, poenae loco, proditur fuisse *civibus.* Cujusmodi interdictio et arcte cohaeret cum illâ quae proxime praecedit, navigationis in Hellespontum vel Ioniam: ut et inde, si quidem opus esset, nostra confirmaretur interpretatio. Et utrumque supra vidimus in jus Romanum fluxisse; nam in utrumque profecto verba cadunt legum quas ex hoc jure attulimus (2).

(1) Ejusmodi enim dicuntur οἱ καθαροὶ ὄντες, s. οἱ καθαρὰς ἔχοντες, τὰς χεῖρας· i. e. ἀνδροφόνοι. cf. Berglerus ad Alciphr. Epist. I. 8. p. 48.

(2) Andocides non meminit h. l. *templorum*, τῶν ἱερῶν, quorum saepius alibi mentio fit simul cum *fori*, τῆς ἀγορᾶς. Veluti est apud Lysiam In Andoc. p. 203: εἰσιέναι εἰς τὴν ἀγορὰν καὶ εἰς τὰ ἱερά· ibid. p. 222: εἴργεσθαι τῆς ἀγορᾶς καὶ τῶν ἱερῶν· Æschinem In Timarch. p. 47., et ipsis quidem legis verbis: μηδ' εἰς τὰ δημοτελῆ ἱερὰ εἰσίτω, — μηδ' ἐντὸς τῶν τῆς ἀγορᾶς περιῤῥαντηρίων πορευέσθω· In Ctesiph. p. 566,

Itaque dictum est de iis quae ad diversi spectant generis ἀτίμους κατὰ προςάξεις. Hisce, jam Cap. II. p. 14., Cap. III. p. 21, Petitum accommodasse animadvertimus verba quibus primo utitur loco Scholiastes Demosthenis Ulpianus: Τῶν ἀτίμων οἱ μὲν τὸ τρίτον μέρος τοῦ σώματος ἠτιμοῦντο· οἱ δὲ τὰ δύο· οἱ δὲ ὁλόκληρον. Pertinet hoc scholion ad illustranda scilicet ea Demosthenis In Mid. p. 542. 24, καθάπαξ ἄτιμος. (cf. p. 14. cit.). Sed unde profectum est? Unde suam hausit Ulpianus doctrinam? Equidem aut magnopere fallor, aut ad ea respexit Demosthenis De Coron. trierarch. p. 1231. 21, quae et p. 21. cit. attuleramus, modo vero, hoc ipso Capite, accuratius consideravimus. Ubi quum Meieri emendationem non probaverimus tantum, ipsam firmissimis praeterea confirmaverimus argumentis: quumque nullus alius nobis Veterum innotuerit locus quo de tripartita ista divisione prodatur: ergo nunc jam doctrinam Scholiastis haud dubitanter respuimus, subtilem profecto illam, quaeque cum Petito pluribusque eruditis diu

quem locum modo p. 261. attulimus. Hic enim ubique, ut supra observavimus, secus ac apud Andocidem, significatur *populi concio*. Eaque interdictio τῶν ἀσεβέντων, *impiorum*, cum a concione, tum a templis et sacrificiis, non erat jussa legibus illa scriptis et civilibus, verum, ut porro refert Lysias ibid. p. 204, *non scriptis*, ἀγράφοις, καθ᾽ ὃς Εὐμολπίδαι ἐξηγοῦνται, *secundum quas Eumolpidae respondent*, quibus legibus ac divino illo et antiquissimo jure uti Athenienses ut pergerent, auctor iis fuit Pericles. De quo jure intelligendus et est Andocides De Myst. p. 17, in ejus generis caussa accusatori, quintam suffragiorum partem qui non tulisset, Cereris et Proserpinae templum intrare fuisse vetitum referens, ἢ ἀποθανεῖται. Eademque τῶν ἱερῶν interdictio memoratur Lysiae In Andocid. p. 255, utpote jussa in ἀλιτήριον, hominem *sacrum*, *detestabilem*: cff. Idem In Agorat. p. 499.: Andocides De Myst. p. 26. Cujusmodi, ut postremo hoc notatur loco, et inscribebantur in *columnis*, *pilis*, ἐν στήλαις: vid. supra Cap. IV. p. 24. sqq.

nos cepit: sed miram eamdem et singularem: cujus autem originem modo, ni fallor, digito monstravimus, eamque in errore positam manifesto. Ὁλόκληρον, καθάπαξ ἄτιμος, cujus generis fuerit, idque ab Ulpiano recte explicari, i. e. *penitus*, *omnimodo* infamis, ut sane nomen indicat, jamdudum id vidimus Cap. II. p. 14: Cap. XXXIII. p. 187. sqq. Hisce opponi ἀτίμους μέρος τι αὐτῶν, infames *partim*, *quodammodo*, exemplis probavimus Oratorum, ipso hoc Capite praesenti. At vero tripartitam harum partium divisionem, de ipsâ legislatores Athenienses ne quidem cogitasse, eamque ad Scholiastarum commenta esse referendam, hoc igitur nunc certo affirmare non dubitamus.

CAPUT XLIV.

Ἀτιμία cujusmodi proprie et antiquitus fuerit Athenis. Regula juris Attici, de reo quaerendum ὅ, τι χρὴ παθεῖν ἢ ἀποτίσαι. Ἀτιμία ad solos pertinet viros. Semper irrogatur a lege.

Itaque exposita sunt quae de variis τῶν ἀτίμων in Athenarum civitate generibus, et uniuscujusque horum generum conditione, Veteres tradiderunt. Jam ergo, hisce in unum quasi contractis, quid de hominibus illis dicendum sit universe, videamus: quodque nunc, explanatione nostra ad finem perducta, fieri melius potest, suppleamus et absolvamus quae ab initio tetigimus libelli.

Grammaticam verbi ἀτιμίας originem neque ibi indagavimus, neque est quod ei immoremur hoc loco. Cum enim per se perspicuum est, ex α. *privativo* et τιμὴ, *honor, existimatio*, illud esse compositum: tum vero minime de hac compositione et origine, de usu duntaxat apud Athenienses quaerere nobis erat propositum et in foro Attico significatione. Et hanc quidem ad antiquissima ejus civitatis tempora referendam esse, vocique jam tum suum constitisse sensum, patet illud ex lege Draconis de homicidis: quippe quam Cap. XXVIII. p. 170. vidimus in eum qui legem evertere conaretur poenas statuisse, ἄτιμον εἶναι, καὶ παῖδας ἀτίμους, καὶ τὰ ἐκείνου. Solon item simpliciter fertur in integrum restituisse, pau-

cis exceptis iisque definitis, quicumque ante ipsius magistratum fuissent ἄτιμοι. Cf. supra Cap. IX. p. 62. Idque referens Plutarchus Sol. p. 88. F. expresse ait ipsa Solonis fuisse verba.

Hanc ergo ἀτιμίαν, cujus jam aetate Draconis certa definitaque erat notio, haud dubitanter eamdem fuisse statuimus, *quod personam adtinet*, cum ea de qua egimus Capp. X—XXXIII; tempore Oratorum καθάπαξ, παντάπασιν ἀτίμους homines istius vocabant generis: significantius etiam ἁπλῶς ἀτίμους· vid. supra Cap. XXXIII. p. 189. fin; quippe haec *simplex*, *propria* erat vocabuli vis. Unde hinc secludendi cum illi graviori poenâ afflicti de quibus ante exposueramus Capp. IV—IX: tum quos *partim* solummodo, μέρος τι αὐτῶν, i. e. *quantum populus jusserat*, κατὰ πρόςταξιν, ἀτίμους fuisse vidimus, deque iis singillatim Cap. XLIII. explicuimus.

Verum ne aequalitatem illam ultra ipsius ἀτίμου personam extendas: quodque Andocidem de his παντάπασιν ἀτίμοις affirmasse, et vere affirmasse, vidimus, iis *bona illaesa mansisse*, (qua de re modo iterum et ex professo monebimus,) caveas ne ad tempora referas antiquiora. Ex Draconis enim lege, cujus paullo ante ipsa attulimus verba, item *bona* publicabantur. Similiter lex de largiendo et corrumpendo, ex Demosthene In Mid. p. 551. supra Cap. XI. p. 78. descripta: ἄτιμος ἔστω καὶ παῖδες καὶ τὰ ἐκείνου. Et illa, ne quis civi Atheniensi uxorem det peregrinam pro cive, ἀτιμίαν conjungit cum publicatione bonorum: cf. Cap. XXII. p. 159. Bene praeterea teneamus Andocidem de propria tantum plenaque ἀτιμίᾳ locutum esse. Unde non tantum quaeri non potest hoc loco de gravioribus istis generibus, ubi saepius utramque poenam reperimus conjunctam. Ut vel ex solo eodem Andocide De Myster. p. 26. patet, ἀσεβείας caussam capitalem fuisse reosque στήλαις inscriptos, tum bona eorum

publicata: Boeckiusque II. p. [illegible] ex [illegible] ejusmodi στήλην adfert de Deliis, qui in Apollinis templo Amphictyonas verberassent, ob eamque rem [illegible] judicio essent damnati cum mulctae pecuniariae [illegible] exilii perpetui. Haud magis cogitandum de levior[illegible] ita ἀτιμία κατὰ προςτάξεις. Veluti accusator qui accusationem jam institutam deseruisset aut quintam suffragiorum partem non tulisset, is cum mulcta plectebatur 1000 drachmarum, tum jure ejusdem actionem generis in posterum instituendi destituebatur: cf. Cap. XII. p. [illegible]. [illegible] Andocidem vere docuisse deprehendi[illegible] [illegible] ἀτιμίαν illam utique personis adhaesisse, [illegible] mansisse.

[illegible] erat regulae juris Attici [illegible] quaerere, *quidnam reum vel* [illegible], ὅ, τι χρὴ παθεῖν ἢ ἀποτῖσαι. Quam [illegible] memorat Demosthenes, veluti Adv. Pan[illegible] In Mid. p. 523. 2, et ipsis legis [illegible] p. 529. 21. De eaque idem Demos[illegible] p. 504. "Ἴστε γὰρ δήπου τοῦθ᾽, [illegible] ἀδικούντων, ἓν ἑκάστῳ τίμημα [illegible] λέγει μηδὲν ὡς χρὴ τίμημα [illegible] ἢ ἕν, ὁπότερον ἂν τὸ δικαστήριον [illegible] ἀμφότερα δὲ μὴ ἐξεῖναι. »Scitis [illegible] quod (et) gravissima erga vos de[illegible] una unicuique poena est secundum legem, [illegible]: nullam oportere poenam esse in acti[illegible] utramcumque quidem tribunal aesti[illegible] solvere: ambo enim non licet." Vere [illegible] prudenter solum eum intelligamus et [illegible] animadvertimus. Ut temere [illegible] Platneri. Proc. u. Klag I. p. 205. sqq., [illegible] dixisse pronunciantis. Sed [illegible] quantum opus erat, jam iis

sponte diluerimus quae prolata sunt in medium, neque adeo expressâ videantur refutatione indigere: addamus duntaxat, regulam illam manifesto sane spectare ad sola judicia τιμητὰ, ubi post primas de culpa sententias iterum judices de poena opinari oportebat (1): attamen eamdem utique a Demosthene proferri potuisse in dijudicanda lege quam Leptines proposuerat (2), quippe quam non licebat huic juri communi contrariam esse paucasque legum antiquiorum exceptiones augere, certe dubium erat an licuerit, ut, quidquid de eo verius esset, apta omnino caussa fuerit ad disceptandum.

Igitur simplex illa personisque adhaerens ἀτιμία, antiquitus jam Athenis cognita, Oratoribus eorum toties memorata, cujusmodi fuerit, per partes id explicuimus Cap. XXXIII: praesertim Cap. XLII, ubi de conditione dictum est τῶν ὀφειλόντων, quippe quorum poenas, quantum ad personam attinet, item illuc pertinere vidimus omnes.

Et vero indidem, et aliunde in hac disputatione ubicumque in medium quid prolatum est de natura et vi τῆς ἀτιμίας Atheniensium, hoc quidem manifestissimum, de solis viris eam intelligendam esse. Longe major haud tantum pars eorum quibus interdictum illis fuisse vidimus, de viris duntaxat, non item de feminis, intelligi ea possunt (3). Ut aliter accipiamus, vetat id praesertim ipsa vocis origo et significatio, non minus vetat nota illa mulierum apud veteres Graecos conditio. Itaque et sexcenties ἄτιμον et ἀτιμίαν de viro videmus usurpari, nullibi de foemina (4). Quae eo praecisius notanda erant,

(1) Cff. supra Cap. V. p. 35 sq. et not. 1. Cap. XX. p. 137.

(2) De hac lege exposuimus Cap. XXIV. p. 162. sq.

(3) Cf. inprimis Cap. XXI. p. 146. sqq.

(4) Æschines quidem In Timarch. p. 177, eamdem, quam Demosthenes In Neaer. p. 1374, rem referens: hanc poenam, ad-

siquidem Wachsmuthius, Hell. Alterth. II. 1. p. 244. not. 31, quamquam in transitu, tamen veluti de re nota, loquitur de *ἀτιμίᾳ foeminarum*. Male profecto, minus certe accurate neque ex Scriptorum usu. Locum ibi scilicet excitat Demosthenis In Neaer. p. 1374. 23, qui mulieri in adulterio deprehensae refert vetitum fuisse cultui sacrisque interesse caerimoniis. Quo quidem loco, quem et nos Cap. XXIX. tetigimus ibique de *ἀτιμίᾳ* mariti si cum adultera cohabitare perrexerit, exposuimus, in ipsam adulteram video utique poenam dictam ignominiosam: *ἀτιμίαν* non video, neque Demosthenes eam sic nuncupat. At ne diutius immoremur levi huic lapsui viri cum doctissimi tum ingeniosissimi.

Una nobis restat observatio ad Atheniensium *ἀτιμίαν* pertinens, eaque maximi, ni fallor, momenti. Vidimus enim diversis hanc legibus in diversa statutam fuisse delicta, idque simpliciter, et sine discrimine quanam caeterum poena rei punirentur. Optime illud in judiciis *ἀτιμήτοις*, ubi poenam ipsa definiverat lex, ergo nullum erat discrimen: aut si quid erat, veluti in *δωροδοκίᾳ*, lex non nisi bifariam dederat optandum. At multa eorum, quae *ἀτιμίᾳ* erant notata delicta, compertum est judicia de iis *τιμητὰ* fuisse, itaque, post primam latam sententiam culpâque evictâ, alteris suffragiis de poena judices statuisse. Cujusmodi, ne alia afferamus exempla, *furti*

dit, Solon statuit in adulteram, *ἀτιμῶν τὴν τοιαύτην γυναῖκα, καὶ τὸν βίον ἀβίωτον αὐτῇ παρασκευάζων*. Sed vel ipsa ea postrema verba satis indicant, *ἀτιμίαν* hoc loco, ut saepius alibi, universe usurpari pro *ignominia, castigatione*, minime proprio dici fori sensu Attici. Sic Plutarchus Themist. p. 123. B. *ἀτιμίαν* usurpat de ostracismo, cui nullam adfuisse infamiam, imo quam ne proprie poenam fuisse, satis constat. — At vero nobis non erat propositum recensere nisi loca ejus generis ubi poena memoratur apud Athenienses legitima.

fuere et ψευδοκλητείας (1). Ibine igitur, quum de reo, primis illo suffragiis damnato, altero quaereretur loco, ὅ, τι χρὴ παθεῖν ἢ ἀποτίσαι, *quidnam eum corpore seu aere luere oporteret*, an item illud eo quaesitum intelligemus, utrum nec ne judices ei ἀτιμίαν irrogarent? Non credo. Nullum ejus generis exemplum mihi apud Veteres innotuit, in judicio τιμητῷ sic judices pronunciasse, arbitriove populi id commissum. Quumque lex ipsa jam universe in crimen ἀτιμίαν sanxisset, nec distinxisset quid caeterum poenae statuerent judices: igitur haud temere, certoque adeo, statuere posse videmur, *semper* legem, *numquam* judices, irrogasse ἀτιμίαν. *Crimen* etenim ipsum erat quod eam infligeret: sive *sola* haec erat poena, veluti in delictis illis militaribus de quibus Capp. XII—XVIII. exposuimus: sive, ut plerumque, *cum aliâ* erat *poenâ conjuncta.*

Verbo addi hoc loco potest, juris regulam hanc Attici et in jus Romanum fluxisse, *infamiam crimini*, non *poenae, adhaerescere*, eamque regulam, in jus hodiernum ubique fere quum permanasset, non nisi recentissimis temporibus abolitam contrariaque novi juris Gallici regulâ eversam esse, *infamiam poenae adhaerescere:* an recte, convenienterque rei naturae, vehementer dubito.

(1) Ἀγῶνες τιμητοὶ et ἀτίμητοι plenissime enumerantur apud Meier u. Schömann Attisch. Process p. 184. sqq. Vid. et paullo ante, hoc ipso Capite p. 268. et not. 4.

CAPUT XLV.

Ἐπιτίμοις omnibus licitum concioni interesse, tum judices esse. Non item magistratum gerere.
Θῆτες. Δοκιμασία.

Reliquos Athenienses jam supra Cap. III. p. 17. animadvertimus ἐπιτίμους fuisse, sine ulla exceptione, omnes. Et profecto notum est illud, quod et a primo monuimus hujus opusculi initio, rem eorum publicam veluti exemplar quoddam semper habitum esse democratiae: cui ipsi conveniens erat, omnibus cum privata tum publica jura civibus esse una eademque, idque absque discrimine vel generis vel facultatum. Igitur: nam de privatis quidem juribus quaestio esse potest nulla: sic proditum legimus, et *concioni*, et *judiciis*, infimae quoque sortis interfuisse Athenienses, idque iis aut tribuisse aut confirmasse Solonem, συνεκκλησιάζειν καὶ δικάζειν. Cff. Plutarchus Solon. p. 88. A: Aristoteles Polit. II. 10. Quibus plena integraque continebatur ἐπιτιμία.

Notandum, ne quem turbet, neve suspicio inde exsurgat falsa, civium hancce aequalitatem, ex qua populi partes pro virili quisque agebat reapse, non eo extensam a Solone fuisse, ut *munus* etiam quodlibet, ἀρχὴν (1),

(1) Quid sit ἀρχή, vidimus supra Cap. XXXVII. p. 202. sqq. in primis p. 205.

posset gerere omnis Atheniensis. Hanc enim duabus adstrinxit gestionem conditionibus.

Primum, non satis erat pleno frui civitatis jure, τῇ ἐπιτιμίᾳ. Censum praeterea, tenuem licet, quemdam tamen te habere necesse erat. *Egentes*, *sine censu*, θῆτες, (Romae vocabant *proletarios*,) eos jusserat ἀρχὴν ἄρχειν οὐδεμίαν, » munus gerere nullum:" Plutarchus et Aristoteles ll. cc. Quam Solonis legem sustulit Aristides post pugnam Plataeensem. Hujus enim suasu populus scivit, κοινὴν εἶναι τὴν πολιτείαν, καὶ τοὺς ἄρχοντας ἐξ Ἀθηναίων πάντων αἱρεῖσθαι· » communem esse reipu» blicae administrationem, et magistratus ex Atheniensi» bus omnibus eligi:" referente eodem Plutarcho Aristid. p. 332. C. Cf. Plato Menex. p. 238. E. Diu postea Antipater revocavit institutum Solonis, Atheniensibusque victis conditionem imposuit πολιτεύεσθαι τὴν πάτριον ἀπὸ τιμήματος πολιτείαν· » gerere patriam rei publicae a censu » administrationem:" Plutarchus Phocion. p. 753. E.

Altero loco, quod exemplis subinde vidimus partemque rei unam alteramque spectavimus, valebat illud universe et sine exceptione: ἀρχὴν, *munus*, quodcumque, etiam sorte datum, qui susciperet, eum antea δοκιμάζεσθαι, *examinari*. Moris solennis testes citasse suffecerit Æschinem In Ctesiph. p. 403.: Dinarchum In Aristogit. p. 86. Quo in examine, τῇ δοκιμασίᾳ, haud tantum, ut modo monuimus, cum ante Aristidis psephisma, tum post Antipatrum, quaerebatur de censu. Illud praecipue, et omni quidem reipublicae tempore, actum ibi est, magistratus designati vitam priorem inquirere, ac ne quid muneri fungendo in ea obstaret videre. Quod ipsum ad multa spectat illa multifariaque ἀτιμίας genera de quibus exposuimus, quorumque ipsâ fiebat frequentiâ, tum in iis observandis negligentiâ, ut solenni ista occasione diligentius ea de re investigari esset necesse. Quin inde

conficere posse videmur, in eo examine haud ita quaesitum fuisse an quis quo nomine *damnatus* indeque *ἄτιμος* esset: cujusmodi hominibus, si munus ambiissent vel suscepissent, ob id ipsum poenas vidimus gravissimas mortemque adeo dixisse leges: sed potius, remota illa judicii investigatione, simpliciter quaesitum, an quis *peccasset* ita ut munus istud legibus ne gerere posset. Latius, ni magnopere fallor, quam ad solam impudicitiam, de qua proprie ibi sermo erat, spectant verba Æschinis In Timarch. p. 184. init., Cap. XLIII. a nobis allata: *οὐδὲ γὰρ ὁ νόμος τοὺς ἰδιωτεύοντας, ἀλλὰ τοὺς πολιτευομένους ἐξετάζει·* »non enim lex privatos, sed rem gerentes »publicam examinat." Sua sese humilitate privati involverint vindicesque latuerint leges: modo ne ad rempublicam accesserint neve examinis cum quoquam munere conjuncti subierint necessitatem.

CAPUT XLVI.

Judicium de Atheniensium ἀτιμίᾳ. Frequentia τῶν ἀτίμων. Restitutiones in integrum. Epilogus.

Duae res sunt, quas neminem credam miraturum, qui quidem reputaverit, et quanti locus ille περὶ τῆς ἀτιμίας fuerit Athenis momenti, et quam late idem patuerit. Altera pertinet ad reprehensionem istam injustitiaeque accusationem, jam antiquitus in has leges jactatam, quamque cum alii memorarunt scriptores, tum vero memorat simulque refutat Xenophon Rep. Ath. 3 § 12. Sed nosmetipsi jamdudum et I°. hujus opusculi Capite id occupavimus, pleniusque adeo de argumento exposuimus ibidem, tum proxime Cap. XLIV. Altera, quam volebamus, quamque iisdem tetigimus locis, res haec est, magnum quemdam saepiusque immensum adeo apud Athenienses fuisse numerum τῶν ἀτίμων. Quam frequentiam testimoniis confirmare hic putamus necesse eo minus esse, quod documenta jam plura in hac nostra sese disputatione deinceps obtulerunt, et vero praesertim, quod ipsa ea disputatio, caussarumque quas explicavimus diversitas, satis illud demonstrant, aliter id se non habere potuisse. Quid mirum itaque, civitatem illam, quae belli angustiis pressa temporumque vexata calamitatibus, aliquando et peregrinis jus civitatis, et servis dedit libertatem (1),

(1) Exemplum est v. c. apud Lycurgum In Leocrat. p. 170, quem ipsum modo spectabimus locum.

eamdem, easdem ob caussas, et ἀτίμους in integrum restituisse? Quid mirum, hanc ἐπιτιμίαν, aeque ac libertatem et civitatem, saepius etiam virtuti singulorum praemio vel beneficio datam remunerationi?

Ἀτίμους hic intelligendos esse cujuscumque generis omnes de quibus in hac disputatione singillatim exposuimus, cum per se satis id sit vero simile, tum certissime constat ex locis illis Andocidis et Demosthenis, quos antea adduximus, nunc iterum jam spectabimus et de industria.

Et Andocidem quidem in ipso disputationis initio, Cap. II. p. 7. sqq., tum p. 10. sqq., conjunctim memorasse vidimus et omnes istos ὀφειλόντας aliosque ἀτίμους, et hanc, de qua nunc agimus, restitutionem in integrum: quam enucleate adeo ad illos retulisse quoscumque, solis exceptis gravissimorum criminum damnatis, ab ipso enumeratis, quosque recensuimus Capp. IV—IX.

Nec minus diserte homines conjungit eosdem Demosthenes In Timocrat. p. 714. sq. Νόμος. Μηδὲ περὶ τῶν ἀτίμων, ὅπως χρὴ ἐπιτίμους αὐτοὺς εἶναι, μηδὲ περὶ τῶν ὀφειλόντων τοῖς θεοῖς ἢ τῷ δημοσίῳ τῶν Ἀθηναίων, περὶ ἀφέσεως τοῦ ὀφλήματος ἢ τάξεως, ἐὰν μὴ ψηφισαμένων Ἀθηναίων τὴν ἄδειαν πρῶτον, μὴ ἔλαττον ἑξακισχιλίων, οἷς ἂν δόξῃ, κρύβδην ψηφισαμένοις. τότε δ᾽ ἐξεῖναι χρηματίζειν, καθ᾽ ὅ, τι ἂν τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ δοκῇ. »*Lex*. »Neque super infamibus, ut in integrum restituantur, »neque super debitoribus deorum aut rei publicae Atheniensium, de remissione debiti aut compositione (aga»tur), nisi primum licentiam decernentibus Atheniensium »haud minus quam sex millibus, quibus id placuerit, »tacitis suffragiis. Tum vero licere agere, secundum id »quod senatui populoque placuerit."

Quibus verbis simul circumscribitur ἄδεια, nudo eo nomine Andocidi ex populiscito Patroclidis memorata

(vid. supra Cap. II. p. 10. (1)) tamquam conditio rogandae in integrum restitutionis. *Sex millia civium huic rogationi licentiam tacito suffragio prius dedisse oportebat.* Eumque numerum quum haud tantopere, ut probabiliter demonstratum est a Boeckhio Staatsh. I. p. 248. sq., excedere soleret numerus civium in concione congregatorum, imo ei saepe inferior esset, igitur non habemus quod miremur restitutionem ejusmodi non ita frequenter rogatam fuisse neve decretam. Et vero solennis numerus ille sex millium. Veluti apud Demosthenum In Neaer. p. 1376. 15. lex citatur, quae jubet, neminem civitate posse donari, nisi ὑπερεξακισχίλιοι Ἀθηναῖοι ψηφίσωνται, κρύβδην ψηφιζόμενοι· » super sex millia Atheniensium de» creverint, tacitis suffragiis." Ubi, aeque ac in Timocratea illa, non eo hoc intelligendum est sensu, quo accipere videtur Boeckhius, quasi sex millia suffragiorum id probare, imo tot solum suffragia data esse oportuerit in concione quae id decerneret.

Ἄδεια postquam data erat a populo: tum demum licebat, vel certi cujusdam aerarii (ὀφειλόντες) in gratiam, *privilegiique* loco, remissionem ipsi rogare diminutionemve debiti: vel universam τῶν ἀτίμων et aerariorum in integrum restitutionem utque omnibus iis plenum redderetur jus τῶν ἐπιτίμων. Utrumque h. l. docet Demosthenes, legemque a nobis allatam sic porro interpretatur, ut sive ab ipso, sive ab alio descripta sit, illud quidem omni careat dubio, eam recte descriptam (2).

(1) Ibi simpliciter scriptum est, ἄδειαν περὶ τῶν ὀφειλόντων (i. e. τοῦ λέγειν π. τ. ὀ, ut eo loco animadvertimus). Plenius et accuratius Demosthenes et hic ἀτίμους memorat nominatim. Quos omnes, nec solos eorum ὀφειλόντας, et Andocidem ob oculos habuisse, ex iis quae apud eum sequuntur manifestum est, ubi quippe singulatim omnes recenset.

(2) Sunt enim qui putant, qua de re et alibi monuimus, leges

Nil itaque ad rem praesentem, quonam modo legenda sit alia lex illa paullo post apud eumdem Demosthenem p. 719. Quodsi enim statuamus ibi simpliciter cautum *de privilegiis non irrogandis:* (id quod aliunde bene notum est, et cui Taylori opinioni proxima ipsius Demosthenis verba fortasse favere possint videri:) tota jam posterior legis pars rejicienda est tamquam inepta appendicula, solaque priora verba sunt retinenda, ipsam illam regulam continentia: *Μηδὲ νόμον ἐξεῖναι ἐπ' ἀνδρὶ θεῖναι, ἐὰν μὴ τὸν αὐτὸν ἐπὶ πᾶσιν* Ἀθηναίοις *τιθῇ.* »Neque legem »licere in hominem ponere, nisi eumdem in omnes Athe»nienses ponas." Sin retinere malis et ea quae sequuntur: *ψηφισαμένων μὴ ἔλαττον ἑξακισχιλίων, οἷς ἂν δόξῃ, κρύβδην ψηφιζομένοις·* quae ipsa habuimus in altera lege p. 714. sq.: tum vero, ut ibidem, sic et hoc loco, exceptionem significari oportet, idque haud tantum ut verbis constet sensus, neve prorsus inania sint et importuna, in primis etiam quia exceptio ipsa obtinuit certissime. Quod quum jam animadvertisset Petitus et sic legem corrigere tentasset, postea melius Reiskius, et lenissima emendatione, huic posteriori parti praeposuit voculam *ἤ*. Quidquid sit: utrum nec ne et hic notetur exceptio regulae de privilegiis non irrogandis: exceptio, inquam, utique obtinuit. Nec tantum sic jus fuisse, et quanam conditione, ex Demosthene l. c. p. 714. sq. constat. De ipsa remissione vel compositione, saepius debitori publico concessa, supra monuimus Cap. XLII. p. 245. Exempla, praeter illud ibidem allatum de Timotheo, cum plura referuntur alia, tum de Demosthene notissimaque ea altaris aedificatione.

Universam *τῶν ἀτίμων* aerariorumque in integrum res-

quae apud Oratores leguntur Atticos, non ab ipsis descriptas fuisse, sed postea additas a grammaticis.

titutionem quod adtinet: hanc quidem deprehendimus Athenis quater fuisse decretam.

Et primum quidem, Solon ejusmodi sanxisse fertur. Qua de re cum Cap. IX. fin. p. 62., tum Cap. XLIV. p. 267. monuimus: illic Plutarchi Solon. p. 88. F. hoc tradentis et ex Solonis lege describentis ipsa apposuimus verba.

Eamque in integrum restitutionem iterum decretam fuisse tempore belli Medici, patet hoc ex Andocidis loco De Myster. p. 36. fin., ubi diserte, ipsisque Patroclidei psephismatis verbis, id exemplum citatur: (cf. supra Cap. II. p. 10. fin. sq.). Deque eo proditum alibi ignorem. Pertinere fortasse putes ad illud Aristidis, de quo vidimus Capite proximo, ipsum post pugnam Plataeensem magistratus cum omnibus, etiam infimae classis, communicasse civibus: a quo facto haud aliena sit restitutio τῶν ἀτίμων, nec mirum, horum utrumque simul fuisse sancitum. Sed paullo post Andocides, p. 53. sq. ubi eamdem hanc memorat in integrum restitutionem, cumque ea conjunctam fuisse prodit reductionem exsulum, expresse ait, ante proelium factam Marathonicum. Ergo ad bellum Persicum referenda est primum.

Ipsum Patroclidis psephisma, cui suadendo citatur exemplum belli illud Medici, Cap. II. p. 7, ex luculento Andocidis testimonio, monuimus latum fuisse post cladem ad Aegos Potamos, Urbeque jam a Lacedaemoniis obsessa. Et hoc brevius significat Xenophon Hist. Graec. II. 2. § 6.

Quarto tandem, fractis a Philippo Macedone ad Chaeroneam Atheniensium opibus, simile populiscitum rogavit Hyperides orator. Memorat Lycurgus In Leocrat. p. 170. Vehementer, licet frustra, oppugnatum ab Aristogitone illo, prodit auctor orationis Demostheni inscriptae In Aristogit. II. p. 803. fin. et 804. (1).

(1) Quatenus cum restitutione in integrum conjuncta fuerit res-

Posterius nil simile repperi. Et sane, quamvis longe postea Athenarum civitati nomen αὐτονομίας remanserit, re tamen ipsa vehementer ab eo tempore labefactata, non haec nisi speciem sui quamdam praebuit et umbram. Quid, quaeso, restitutio ejusmodi significasset? Quaenam ipsius ἀτιμίας vis fuerit et aestimatio? Durissime habitae ab Alexandro, ab hujus successoribus et inter bella Graeciae civilia magis magisque debilitatae, deinceps Athenae libertatem, diu licet, non tamen ultra fere nomen, neque profecto nisi gratia quadam retinuerunt Romanorum benivolentiaque, donec ipsae tandem in Provinciae formam redigerentur. Hoc jam intervallo, cum legum istarum ratione, leges ipsas in desuetudinem abiisse credibile est. Nil certe de iis proditum legimus.

Quantum vero inde fluxerit in Romanorum instituta jusque illius gentis celebratissimum, de eo quidem exponere nostri non erat propositi. Solas spectavimus Athenas. Intraque vigentem hujus nosmetipsi concludimus virentemque civitatis statum, quo cum artes literaeque, tum res eorum domi belloque, maxime floruerunt. Locum exponere studuimus, longe lateque patentem, insignis eum momenti, et quem neminem adhuc eruditorum accuratius tractasse deprehenderamus, idque eo magis mirabamur, quo arctius sit is cum accurata Veterum illorum intelligentia conjunctus.

titutio bonorum quae quis ex damnatione amiserat, de eo cf. Meier De Bon. Damn. p. 228. sqq.

INDEX RERUM ET VERBORUM.

M.

N.

O. Ω.

P. Φ. Ψ.

U. V.

X.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Pag. 2 lin. 26. »quaeque sibi hujus cultus potissimum auctor, caet." Omnino nec dubitanter assentimur Hermanno, Lehrbuch der Griech. Staatsalth. Heidelb. 1831, Vorrede p. X. »Namentlich hat er (der Verfasser) es kein Hehl, dass er sich »von der *Nothwendigkeit* einer Civilisation Griechenlands »aus dem Oriente nie hat überzeugen können, und die un»bestreitbaren Aehnlichkeiten, die man dafür anführt, lie»ber mit H. Ritter, Gesch. d. Philos. I. s. 60, aus einer »*innern* als einer *äussern* Verwandtschaft herleitet."

» 4 not. 1 Minus recte dissentit inverseque adeo hac de re judicat Boeckhius T. I. p. 199. T. II. p. 411. sq., quasi poenae loco liberi Athenienses utique torqueri potuerint, minime criminis causa indagandi. Caeterum fuse de quaestione tormenti apud Athenienses prodit Platner Process. u. Klag. p. 237. sqq.

» 16 lin. 10 supra … leg. modo.
» 21 » 17 *κατάπαξ* … » *καθάπαξ*.
» » » 21 *ἐιπόντα* … » *εἰπόντα*.
» 22 » 25 au … » an.
» 24 » 7 ae … » ac.
» 27 » 7 *ἥν* … » *ἦν*.
» 30 » 21 *δ' αὐτοὺς* … » *δ' αὑτοὺς*.
» 31 » 6 *τοῦς* … » *τούς*.
» 32 » penult. um … » cum.
» 37 » 23 caussem … » caussam.
» 39 » 1 *δε* … » *δὲ*.
» » » 6 solere quando … » solere: quando
» » » penult. Juneo … » Junio.

» 43 ad fin. Quod quidem per se ex iis deducas quae hisce Capitibus prodidimus, notare illud neglеximus a Lycurgo l. c.

p. 220. expressis enunciari verbis: στήλῃ inscriptos fuisse qui Deceleam abiissent (vid. p. 42. fin.) tum proditionis damnatos, eorumque primum Hipparchum: (p. 43. coll. p. 34).

Pag. 44 ad fin. Hermarum mutilatorum damnatos morteque affectos item στήλῃ fuisse inscriptos, docet Andocides ibid. p. 26.

» 45 pr. Inde et Alcibiadis absentis, necdum crimine diluto, nomen στήλῃ impositum: Isocrates De Bigis p. 606. Nepos Alcib. 5.

» 58—60. Omnia hic confundit Platner Att. Pr. I. p. 14—16.

» 62 lin. 3 p. 88. *E*................leg. p. 88. *F*.

» 64 » 1 Quamadhuc.............. » Quam adhuc.

» 67 » 28 *κακόεργοι*................ » *κακοῦργοι*.

» » » 33 *κακόεργοι*................ » *κακοῦργοι*.

» 69 6 » *γραψῇ*.................. » *γραφῇ*.

» 77 » 14 mala etrac................ » malae trac-.

» » » 19 proditumalibi.............. » proditum alibi.

» 85 » (1)......................... » (2).

» 86 » 17 Boekhius.................. » Boeckhius

» » » penult supplicatorius.......... » supplicatorios.

» 91 » 1 *οἱ*....................... » *οἷ*.

» 92 » antepenult. *cognominis*........ » *cognomines*.

» 94—96 Haud prorsus a nostra explicatione τῆς στρατείας ἐν τοῖς μέρεσιν abhorret illa Wachsmuthii, II. 1. Beilag. p. 442. sq., qua recte deserit eam quam prius prodidisset I. 1. p. 253. Et sic tamen accuratius rem a me putem expositam.

» 102 lin. 10 τὰς......................leg. τὶς.

» 117 » 12 scriptae................... » scriptis.

» 121 » 7 Ψευδομαρτυριῶν.......... » Ψευδομαρτυριῶν.

» 125 » 14 imbecillem................. » imbecillum.

» 128 init. Eamdem fuisse poenam probabile est τῶν κακοτεχνιῶν cum poena τῆς ψευδοκλητείας quod mulctam attinet et restitutionem parti adversae quanti hujus interesset: quam poenam praecise definire in singulis causis judicum erat. Neque tamen illa lex τοῖς damnatis ἀτιμίαν irrogasse videtur: cf. infra Cap. XX p. 137.

» » lin. penult. ἐν.......................leg. ἐὰν.

» 136 » antepenult. dabaturque........ » dabatur, qui

» 137 » 2 κλητῆρες.................. » κλητῆρας

Pag. 138 fin. *Ψευδοκλητείας* actionem ex professo tractavit Boeckh, Vorrede zu dem Berliner Verzeichniss der Wintervorlesungen von 1817—18, quam disputationem cum citatam invenimus apud Meier u. Schömann Att. Proc. p. 337: Hermann Lehrb. § 140 n. 7.; ut eo magis doleamus eam nos ipsam non vidisse.

» 148 lin. 15 cancellas.................leg. cancellos.
» 154 » 2 pergerit.................» perrexerit.
» 156 » 30 ni fallor, opinor.........» ni fallor.
» 187 » 10 earum....................» eorum.
» 191 » fin. Æschines De Fals. Leg. p. 339, de inimicis loquens, ait eos esse *ἀτίμους ἐκ συκοφαντίας*, idque Reiskius vertit in Indice, *infamiae judicio notatos postquam reus calumniae factus et peractus esset.* Sed pertinere videtur simpliciter ad accusatores qui quintam non tulissent suffragiorum partem. Cujusmodi item *συκοφάντην* vocat Demosthenes, De Coron. p. 315. — Caeterum de *συκοφάντῃ* cf. et supra Cap. X. p. 64. Cap. XIX. p. 128. fin. sq.
» 204 lin. 18 *ἤ*......................leg. *ἢ*
» » » 30 ac......................» an.
» 205 » 13 *ἀνεπεύθυνοι*..............» *ἀνυπεύθυνοι.*
» 209 » 4 not. 1. addebatur, mulcta. » addebatur mulcta.
» 210 » ult. in primi.................» in primis.
» 218 » 25 munerum..................» numerum.
» 221 » 11 *Ψενδοκλητείας*..........» *Ψευδοκλητείας.*
» 227 » 23 *κατα*......................» *κατα-*
» 232 » 6 *μηνι*.......................» *μηνί.*
» 233 » ult. versarent...............» versarentur.
» 240 » 4 *ἔφεσις*....................» *ἄφεσις.*
» 242 » 8 *γεγενὼς*..................» *γεγονὼς.*
» » » 16 plecteutur.................» plectantur.
» 252 » 28 *γὴν*.......................» *γῆν.*
» 261 » penult. (1)...................» (2.)
» 277 » 12 *ψηφίσωται*..............» *ψηφίσωνται*
» » » 31 *ὀφειλόντας*..............» *ὀφείλοντας.*





